


A mon ami Perdrizet
A. de Ridder

DE ECTYPIS QUIBUSDAM ÆNEIS

QUÆ FALSO VOCANTUR

« ARGIVO-CORINTHIACA »

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

A. DE RIDDER

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS
GALLICÆ QUÆ EST ATHENIS SCHOLÆ NUPER SOCIUS



LUTETIÆ PARISIORUM
APUD THORIN FILIUMQUE BIBLIOPOLAS
A. FONTEMOING, Editorem
4, VIA DICTA LE GOFF, 4

MDCCCXCVI



DE

ECTYPIS QUIBUSDAM ÆNEIS

QUÆ FALSO VOCANTUR

« ARGIVO-CORINTHIACA »

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

DE

ECTYPIS QUIBUSDAM ÆNEIS

QUÆ FALSO VOCANTUR

« ARGIVO-CORINTHIACA »

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

A. DE RIDDER

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS
GALLICÆ QUÆ EST ATHENIS SCHOLÆ NUPER SOCIUS



LUTETIÆ PARISIORUM
APUD THORIN FILIUMQUE BIBLIOPOLAS
A. FONTEMOING, Editorem
4, VIA DICTA LE GOFF, 4

MDCCCXCVI



OPUS

T. HOMOLLE

D. D.

PROŒMIUM

Inter omnia quæ ad artem græcam antiquam attinent, nil, credo, hoc temporis, in controversia versatur, quod majoris sit momenti, quam illa ipsa, de quibus disputabimus, ænea ectypa. Quæ, cum ætate qua confecta sunt, tum arte ipsa quam spirant, monumenta sunt gravissima, statuisque nonnullis, vasis aut grandioribus sigillis graviora.

Hoc enim si reputas in qua ætate sint a fabro cælata, miro quodam consensu, non est qui neget exempla fuisse septimo sextoque a. C. n. sæculo expressa. De origine laminarum nempe ambigitur — de antiquitate vero, non repugnat ullus. Quæ autem tempora, id est septimum sextumque sæculum, græcæ artis, haud injuriâ, vocarentur incunabula. Non nego mycenæa antea extitisse exempla, quæ quanti fuissent momenti, quum ceteri sæpius ostenderunt, ipse, si mea referre licet, monstrare conatus sum. Sed, si gemmas exceperis, sepulcraque et regias ædes, barbaro quodam splendore nitentia, sigilla invenies, sive fictilia, sive ænea, prorsus rudia, marmoreas sculpturas informes, vasa denique piscibus, floribus, plantis mirum in modum distincta, quæ vero artem spirant herbidam aut maritimam, id est inferiorem. Neque illa, quæ sequuntur, « geometrica » vasa multo prætuleris, si aliud, in monumentis, quam linearum variam et callidam dispositionem desiderabis. Exceptis enim excipiendis, nondum tunc conati sunt artifices ut humanam effigiem, seu pingendo, seu sculpendo, ad fidem redderent. Octavo autem a. C. n. finiente sæculo septimoque surgente, jamjam Græci quid sit ars, quid valeat secumque trahat, intelle-

gunt, sique manent adhuc imperiti, utpote miro quodam ardore præditi, nil est quod assequi non conentur. Statuas tum primum statuarum nomine dignas effingit faber, æra inflat, sigilla sculpit, vasa pingit — nil intentatum, omni in arte, relinquit.

Itaque, hoc jam insignia essent nostra ectypa, quod in temporibus rerum novarum adeo cupidis expressa fuissent. Sed, in fabula, non « choreutæ » sunt, nutui ducum obsequentes, primas vero partes agunt. Si argumenta, vel breviter, perspexeris, quibus laminas invenies decoratas esse, diversa reperies ectyporum genera, non animalia tantum prorsus græca atque Græciæ quasi peculiaria, sed alia quæ sunt de Oriente assumpta, neque monstra solum, sed homines, sive inter se dimicantes, sive in currum ascendentes, imo, quod pluris refert, jam scenas difficiliores, sive heroum, sive deorum gesta, cuncta denique quæ, ad hanc diem, Græci finxerant. Non alias scenas in septimo sextoque sæculo artifices exprimere assueverant, nec, quod in primis notandum, etiam quum exprimebant, tam callide feliciterque effingere soliti erant.

Nam, si vasa contuleris in quibus talia reperias argumenta, valde abest ut artem mireris eamdem. Lineas nempe reperias, quibus corpora adumbrata pictaque sunt, aut fluxas nimis, aut restrictas, nunquam ad verum expressas. Quod facile intelleges, si memineris vasa esse plerumque ad usum quotidianum confecta simul et picta, nec vasis ornatus creari novos atque a communibus abhorrentes, sed, inter sexcenta argumenta, unum vel alterum deligi, atque, non ad veritatem, sed ad exemplum quoddam, sæpius exprimi. Nostra autem ectypa opus erant ærario fabro difficillimum, lamina enim, in primis tenuis subtilisque, haud ita facile cælatur : imo usu erant rariore, quæ supellectilem ornabant divinam, sive dei thronum, sive arcam, sive sacram templi parietem. Ideo, si quis novam quamdam invenerat aut ornamentorum aut scenæ dispositionem, quæ excogitabat, ære prius reddebat, aut in ectypo exprimebat, quam in vasis depingebat. Ita, nostris in laminis, genuinos deprehendas conatus, artemque,

ne dicam doctam semper ac perfectam, sinceram atque, etiam inter monumenta, utpote græca, viva ac spirantia, maxime spirantem. Hoc, re vera, non dicam, nec credidi unquam laminas esse prima, quæ confecta sunt, exempla, nec antea multa non fuisse, sive ænea, sive fictilia, sive marmorea monumenta, quæ raro quidem servata sunt, quæ vero interdum, qualia fuerint, fingere licet. Satis est, ut in re tam obscura atque in ætate adeò remota, exempla nonnulla novisse, quæ pristinam, haud ita male, tuita sunt artis græcæ historiam. —

Quibus causis, in plano positis atque valde perspicuis, nonnullas addere facilius esset, rursusque ostendere cur ectypa, quum colligere, tum enucleare conatus sim. Nil est enim, inter tot tamque multa græcæ artis arcana, quod tam penitus ignoremus quam regiones in quibus fabri ærarii maxime laboravissent. Chalcidicam ita nonnulli scriptores testantur quamdam fuisse æris fabricam; Chalcis imo, in tota Græcia, sola urbs exstitit, in cujus finibus æris metalla et olim fuerint et hodie inventa sint. Attamen æneum non est ullum monumentum, quod jure et sine controversia hodie probare possimus Chalcide fuisse confectum. Laminæ autem nostræ sunt pleræque in Bœotia reperta, quæ, quum alias ob causas, tum propter ipsam vicinitatem, fuit cum euboica civitate arcta quadam necessitudine connexa. Sequitur non certum quidem esse, sed in primis probabile ectypa fuisse origine et arte chalcidica. Quod verum esse, si, aliis indiciis nixi, nobis probare contigisset, nonnihil profecisse nobismet ipsi videremur in artis græcæ originibus indagandis atque enucleandis.

At ectypa contendunt, non chalcidica esse, sed, ut malunt, corinthiaca. Quod si verum esset, ut, Furtwænglero duce, omnes pæne consentiunt, sequeretur corinthiacam artem longe alias, in græca arte, partes egisse, quam vulgò creditum est. Non tantum quia monumenta essent, præ ceteris corinthiacis exemplis, perfectiora — sed quia pæne nihil in laminis reperias quod in corinthiacis vasis detegere possis. Alia sunt marginum ornamenta, alia

monstra, aliæ scenæ, alia personas disponendi ratio, nil pæne simile, ars in primis prorsus dissimilis. Quæ cum ita sint, corinthiaca esse exempla credere non potui — imo corinthiacam artem, quam volunt esse genuinam partesque magnas egisse, ornamenta argumentaque undique accepisse ac mutuatam esse sensim ostendere conatus sum. Quod rursus, si demonstrare mihi contigisset, non nullius, credo, esset momenti. —

Denique, ut volunt plerique, « ente » novo, quod crearunt, « argivo-corinthiaco » parum contenti, thesim paulatim augentes, non de chalcidica aut corinthiaca ambigunt arte. Nil tale in controversia versatur, sed multò gravior est contentio. « Peloponnesiacam » nempe laminæ spirant artem, quam quo modo definiant, post quam finxerunt illi viri docti, non est cur hesitent. Simplicitate enim illâ atque gravitate pollet, quam, quum in gente dorica, tum in Spartana civitate, agnovisse mirarique volunt. Nec nego thesim esse a multis probatam, veram esse nego, nec negare ullo modo non possum. Quid sibi vult enim ars illa quæ esset magnæ Græciæ parti communis? Quo nodo, quibus vinculis, in regionibus tam diversis, fabri essent inter se connexi? Etiam si gente essent eadem, quid, quum de arte agitur, gens significat, Herculisque illa progenies? At, si gens dorica dorica re verâ finxisset monumenta, cur, in græcis coloniis, sive doricis, sive ionicis, exempla sæpius reperias eadem, artem eamdem, pingendi sculpendique rationem eamdem? Verum est, nec infitias eam, multa fuisse in Peloponneso monumenta expressa, sed non ideo ars est peloponnesiaca, at asiatica ioniaque exempla fabri pro viribus imitantur. Tantum abest ut quidquam, proprio sensu, *creare* possint!

At causam penitus orare operis esset infiniti, neque, quod magis refert, utilioris. Si quis enim opus perlegerit meum, facile, quid mihi proposuerim, perspexerit.

Ita de ectypis viros doctos archæologiæque peritos qui scripserint omnes, enumerare non tentabo. Aliud est enim rem pertractare, aliud breviter et quasi currendo præstringere. Itaque hosce tantum referam qui monu-

menta aut ipsi ediderunt aut commentariis amplioribus illustraverunt.

Inter quos primus, quum multis ac diversis scriptis, tum maxime tribus (1), cujusnam essent artis testimonia, exquisivit vir Germanus Adolfus Furtwængler. Gallus posthac Mauritius Holleaux, quum plura effodisset prope templum illud bœoticum Apollini Ptoïo dedicatum, reperta nuper edidit (2). Tertius denique atque idem Anglus, A. G. Bather, quum Athenis in Acropoli, tum in musæo quod dicebatur Polytechneion, nova detexit ejusdem artis exempla, quæ et ipse accuratius illustravit (3).

Quibus viris doctis, non est cur ego memet ipsum, hoc in loco, non addam, qui quatuor abhinc annos, talia ectypa effoderim Orchomeni et tribus jam in scriptis, licet breviter, illustraverim (4).

Ne de proposito legenti liceat in ambiguo stare, imprimis curavi ut ectyporum brevis catalogus opusculo præesset. Tum demum nomen « argivo-corinthiacum » quid sibi velit exquiram idemque falso ectypis attributum esse paucis ostendam. At non negare tantum in animo fuit. Ectypa rursus, alio quodam modo, pertractabo, non ornamenta tantum, sed et argumenta, pro viribus, ad fidem commentando : sic licebit et quæ sit exemplorum origo, simplexne an multiplex, exquirere et quas partes, ut ita dicam, in originibus artis egerint antiquæ, perpendere.

(1) *Historische und Philologische Aufsætze Ernst Curtius gewidmet*, 1884, p. 179-193, tab. IV. — *Olympia*, t. IV, *Die Bronzen*, 1890, p. 101-105, 213, tab. XXXIX, 699-707. — *Anzeiger*, 1894, p. 117-8. — Cf. *ibid.*, 1893, p. 97.

(2) *Bulletin de correspondance hellénique*, 1892 (XVI), tab. X-XI, XIV-XV, p. 347-369. — Cf. *ibid.*, 1893, p. 184.

(3) *Journal of Hellenic Studies*, 1892-3 (XIII), tab. IX, p. 248-271.

(4) *Catalogue des Bronzes de la Société archéologique d'Athènes*, 1894, p. 30-2, 135-8, n. 115-6, 797-8, 801. — *Bulletin de correspondance hellénique*, 1895, p. 218-224, n. 885-919. — *Catalogue des Bronzes trouvés sur l'Acropole d'Athènes*, 1896, p. 113-121, n. 349-374. — Opere jam prope confecto, libellum accepi in quo Paulus Wolters ectypa edidit in Acropoli reperta (*Athen. Mittheil.*, 1895, p. 473-482, tab. XIV). Qui mihi figuras quoque liberaliter communicavit, a Gillierone delineatas, quas operi tali modo adjungere potui.

CAPUT PRIMUM.

ECTYPORUM BREVIS CATALOGUS.

Qui catalogus non ectyporum tantummodo seriem legenti proponet, sed et ornamentorum quibus ectyporum margines decoratæ.

I

ECTYPORUM CATALOGUS.

A). — Specula (**1-4**).

1. — Originis incertæ. In Musæo Berolinensi. — Alt., 0^{m},045. — *Historische und Philologische Aufsætze E. Curtius gewidmet*, p. 181-193, tab. IV (Furtwængler). *Catalogue des Bronzes de la Société archéologique* (*Bronzes du Polytechneion*), p. 30.

Ectypum latius quam altius, quo speculi cujusdam manubrium ornatur (de quibus speculis confer *Bronzes du Polytechneion*, p. 30-2).

A sinistra incipienti, Achilles nudus hastamque tenens ad dextram progreditur, cujus mentum tetigit senex Priamus longa veste atque « ἱματίῳ » indutus. A dextra nudus quidam κῆρυξ, forsitan sit Hermes, caduceum tenens incedit. Humi jacet mortuus Hector.

2. — E Græcia proveniens. In eodem musæo (8373). — *Archæologische Anzeiger*, 1893, p. 37, 6. *Bronzes du Polytechneion*, p. 30.

Persimile manubrium, non in summa tantum parte, sed totum ectypis ornatum, laminis superpositis tribus, forma inter se diversis, A, B, C.

A). — Gorgonis caput.

B). — Juvenis quidam, ad sinistram versus, dextra florem loti tollens, sinistra ramum tenens pendentem, ἱματίῳ ionico longaque χιτῶνι indutus caputque cinctus corona. Gallus prope incedit.

C). — Sphinges duæ, ut videtur barbato mento, nullo interposito ramo, adspiciunt inter se sedentes.

3. — Alt., 0^m,205. — Corinthi repertum. Athenis, in Musæo Publico (7687). — *B. C. H.*, 1892, p. 360, n. 5 (Holleaux). *Bronzes du Polytechneion*, p. 31, n. 115.

Persimile manubrium, cujus tria ectypa alt. sunt 0^m,03, 0^m,122, 0^m,053, latit. 0^m,03, 0^m,023, usque ad 0^m,034, 0^m,055.

A). — Gorgonis caput.

B). — Juvenis ad sinistram versus, simili veste indutus, similiaque, ut videtur, manibus tenens, quum non appareat ramus neque sit coma cincta coronâ, sed nodo quodam juncta qui κρωβύλος vocatur.

C). — Sphinges sedentes imberbæ.

4. — Alt., 0^m,18. — Corinthi repertum. Athenis, in eodem musæo (7691). — *B. C. H.*, 1892, p. 360, n. 5 (Holleaux). *Bronzes du Polytechneion*, p. 31-2, n. 116.

Persimile manubrium, cujus ectypa alt. sunt 0^m,035, 0^m,102, 0^m,043, latit. 0^m,035, 0^m,026, usque ad 0^m,034, 0^m,048.

A). — Gallus ad sinistram versus.

B). — Similis quidam juvenis, ut dijudicare licet ex lamina haudquaquam integra.

C). — Leones duo stantes, retrorsum verso capite, cruribus duobus anterioribus sublatis, quorum unum in palma positum interjecta, alterum super ramum tollitur qui gignitur e palma.

B). — Laminæ usus incerti (5-84).

5. — Alt., 0^m,10. — Dodonæ repertum. Athenis, in domo Constantini Καραπάνου. — Carapanos, *Dodone et ses ruines*, tab. XVI, 2, p. 33, 189.

Ectypum divisum in duas partes, quarum inferior tantum (A) propemodum integra, superior (B) male servatur.

A). — Nudus miles, dextra gladium tenens sinistraque, ut videtur, hastam, ad dextram incedit contra clypeatum galeatumque hostem qui vulneratus humi procumbit. Tertius, nudus et ipse, ad dextram lentius incedit, dum, supplici manu, iram victoris a victo tentat avertere.

B). — Tres quoque nudi redduntur, quorum unus in medio

stans, ad dextramque versus, manum videtur tollere, alius in currum ascendit in dextra parte fictum, tertius progreditur ad sinistram.

6. — Alt., 0^m,04. — Dodonæ repertum. Athenis, *ibidem.* — Carapanos, *Dodone*, tab. XVI, 3, p. 33, 189-190.

Similis lamina, cujus superior pars (B) vix servatur, inferiore (A) haudquaquam integra.

A). — Vulneratus (?) juvenis, flecto, ut apparet, genu, perterritus, caput vertit ad dextram; cujus sinistram manum amicus sublevare tentat, inclinatus balteoque cinctus, humerum vero dextrum inimicus (?) ab alia parte tetigit.

B). — Tres tantum apparent pedes ad sinistram incedentes.

Quibus duobus exemplis dodonæis quatuor addam ejusdem formae (**7-10**), licet duo sint recentiora (**9-10**).

7. — Alt., 0^m,07. — Dodonæ repertum. Athenis, *ibidem.* — Carapanos, *Dodone*, tab. XIX, 1, p. 36, 194.

Quadrigarum currus, quo duo vehuntur heroes, galea tecti corinthiaca. Dextra sinistraque aut aves volitant forma singulares aut, quod minus probandum videtur, scorpii apparent, ad verum minime delineati.

8. — Alt., 0^m,06. — Dodonæ repertum. Athenis, *ibidem.* — Carapanos, *Dodone*, tab. XIX, 2, p. 36, 195.

Simile ectypum, in sinistra summaque parte fractum.

Currus, ut videtur, bigarum, quo Νίκη vehitur alata.

9. — Alt., 0^m,07. — Dodonæ repertum. Athenis, *ibidem.* — Carapanos, *Dodone*, tab. XIX, 4, p. 36, 194.

Similis lamina.

Currus quadrigarum, quo Νίκη vehitur eadem, capite ad dextram verso.

10. — Alt., 0^m,05. — Dodonæ repertum. Athenis, *ibidem.* — Carapanos, *Dodone*, tab. XIX, 3, p. 36, 195.

Ectypum integrum.

Currus bigarum ad dextram quadrupedantium, quo Νίκη vehitur, inclinato corpore flectensque habenas.

11. — Athenis, in Acropoli repertum. Nunc in Musæo Publico

(6962). — *Catalogue des Bronzes trouvés sur l'Acropole d'Athènes* (*Bronzes de l'Acropole*), p. 113-4, n° 349. *Athenische Mittheilungen*, 1895, tab. XIV, 1, p. 476-8. — Fig. 1.



Fig. 1 (11).

Lamina in quatuor partes divisa, A, B, C, D, quarum una A, haudquaquam servatur, tres aliæ, superpositæ, sunt partim integrae. Si marginem tolles, unicuique parti altit. invenies 0^m,0455, latit. 0^m,045. De marginibus, vide infra.

B). — Achilles ad dextram incedit, manibus tenens hastam, cujus ad ora dextram tollit senex Priamus, tertio quodam viro, Priami comite, ad sinistram verso. Incertum an humi jaceat Hectoris cadaver.

C). — Duo viri, simili gestu, gladium educunt e vagina atque incedunt, unus ad dextram, ad sinistrum alter.

D). — Humi jacet moriens Ajax. Insuper, sive duo, sive tres adsunt homines, quorum unus longa veste indutus, diversoque modo manus tollunt.

12. — Athenis, in Acropoli repertum. In eodem musæo (6965). — *Bullettino*, 1867, p. 75. *Athenische Mittheilungen*, 1887, XII, p. 123, n. 3; *ibidem*, 1895, tab. XIV, 4, p. 474-6. *Bronzes de l'Acropole*, p. 114-5, n. 350. — Fig. 2.




Fig. 2 (**12**).

Similis lamina, cujus si margines tolles, latit. invenies unicuique parti, A, B, C, D, 0m,05, altit. 0m,051.

A). — Sphinges sedentes, capite flosculo quodam ornato.

B). — Hercules nudus ad dextram contra leonem Nemeæum magnis passibus incedens, cujus gulam sinistra prehendit, dextra grave librante robur.

C). Humi jacet, ad dextram versus, moriens Ajax, pectus ense transfixus. Insuper tres adsunt viri, quorum duo, longa veste induti, manus tantum tollere videntur, tertius vero, nudus inclinatoque corpore, heroem conatur sublevare morientem.

D). In sinistra, sive vir, sive femina veste longa adest, quum tres homines inter se dimicant unusque procumbit genibus flexis.

13. — Alt., 0m,07. — Athenis, in Acropoli. In eodem musæo. — *Bronzes de l'Acropole*, p. 115, n. 351. *Athenische Mittheilungen*, 1895, tab. XIV, 5, p. 481-2. — Fig. 3.



Fig. 3 (13).

Similis lamina, cujus partes duæ tantum servantur.

A). — Theseus, ad dextram incedens, Minotaurum tentat occidere, monstrum cornu tenens, genu in crus feræ, ut videtur, procumbente.

B). — Mortuum quemdam jacentem avis unguibus occupat.

14. — Alt., 0m,05. — Athenis, in Acropoli repertum. In eodem musæo. — *Bronzes de l'Acropole*, p. 115, n. 352.

Similis lamina, cujus partes, A, B, eòdem spectant.

A). — Capita tantum trium virorum apparent, dextra sinistraque inclinata.

B). — Pedes apparent duo ad sinistram ad dextramque versi.

15. — Alt., 0^{m},06. — Athenis, in Acropoli repertum. In eodem musæo. — *Bronzes de l'Acropole*, p. 115-6, n. 353.

Similis lamina, cujus pars una alteri parti a sinistra ad dextram succedit.

A). — Femina quædam, ad dextram versa, sedere videtur coronam tenens. Vir insequitur nudus eodem versus.

B). — Homo nudus ad dextram incedens.

16. — Alt., 0^{m},06. — Athenis, in Acropoli repertum. In eodem musæo. — *Bronzes de l'Acropole*, p. 116, n. 354.

Similis lamina, duabus superpositis partibus.

A). — Ad dextram vir incedens, flexa manu gladiumque tenens (?). Alius, ut videtur, tenebat hastam.

B). — Pes ad dextram versus.

17. — Lat., 0^{m},061. — Athenis, in Acropoli repertum. In eodem musæo. — *Bronzes de l'Acropole*, p. 116, n. 355.

Pars ectypi, propemodum, ut videtur, integra.

Juvenis nudus, ad dextram versus, grype vectus quodam marino quem flectit habena.

18. — Alt., 0^{m},03. — Athenis, in Acropoli repertum. In eodem musæo. — *Bronzes de l'Acropole*, p. 116, n. 356. *Athenische Mittheilungen*, 1895, tab. XIV, 3, p. 478.



Fig. 4 (18).

Ectypi pars.

Vir nudus ad sinistram incedens.

19. — Alt., 0^{m},02. — Athenis, in Acropoli repertum. In eodem musæo. — *Bronzes de l'Acropole*, p. 117, n. 357.

Homo sedens ad sinistram versus, brachio sublato, dextrâ cujusdam alii porrectâ.

20. — Corinthi repertum. Nunc in musæo Berolinensi. — *Archælogische Anzeiger*, 1894, p. 117-8, fig. 7, n. 7, 9.

Lamina cujus tres partes juxta inter se positæ. Si a sinistra incipies :

A). — Sphinges duæ sedentes atque interpositam arborem crure altero sublato, altero recumbente tangentes.

B). — Gorgo alata properans ad sinistram, avi quadam eodem volitante.

C). — Leones duo stantes, retrorsum verso capite, crure uno anteriore super loti florem posito, humi jacentem, altero sublato.

21. — Corinthi repertum. In musæo Berolinensi. — *Arch. Anzeiger*, 1894, p. 117, fig. 8.

Lamina, haudquaquam integra, nulla vero linea divisa.

Avis quædam, cum grypis, ut videtur, capite, ad dextram incedens. Nescio quid sequitur, formæ parum certæ, posthac avis pennæ.

22. — Corinthi repertum. In musæo Berolinensi. — *Arch. Anzeiger*, 1894, p. 117, fig. 9.

Similis lamina.

Aves duæ, ut videtur, similes, obviam inter se procedentes, inter quas surgit ramus. Juxtà, stella videtur.

23. — Corinthi repertum. In musæo Berolinensi. — *Arch. Anzeiger*, 1894, p. 117, fig. 10.

Capita sphingum duarum apparent, ambo flore quodam ornata.

24. — Corinthi repertum. In musæo Berolinensi. — *Arch. Anzeiger*, 1894, p. 117, fig. 11.

Ectypi pars.

Gorgonis corpus quod serpentes totum amplectuntur.

25. — Corinthi repertum. In musæo Berolinensi. — *Arch. Anzeiger*, 1894, p. 117-8, fig. 12.

Lamina, cujus duæ, juxtà positæ, partes male sunt servatæ.

A). — Magna florescit arbor quæ poma, ut videtur, fert Hes-

peridum. Quibus lectis, ad dextram incedit Hercules, sinistra librante robur.

B). — Alatum quoddam monstrum, forte Gorgo, ad sinistram incedit.

26. — Corinthi repertum. In musæo Berolinensi. — *Arch. Anzeiger*, 1894, p. 117-8, fig. 13.

Similis lamina :

A). — Ad sinistram vir nudus incedit.

B). — Hydra videtur immanis, Lernæum scilicet monstrum.

Quibus septem ectypis (**20-26**), illud non addam in quo Sphinx videtur ad dextram versa (*Arch. Anzeiger*, 1893, p. 117-8, fig. 14), quippe quod non usus sit tantum diversi, sed arte diversa creatum.

27. — Lat., $0^{m},07$. — Olympiæ repertum. Athenis in Publico Musæo. — *Olympia*, t. IV. *Die Bronzen*, tab. XXXIX, 699, 699^{a}, p. 101-3, 213. — Fig. 5-6.



Fig. 5 et 6 (**27**).

Lamina in quatuor, ut videtur, superpositas partes divisa. Ordinem sequar quo usus A. Furtwængler.

A). — Gorgo alata, chitone induta, ad dextram properans.

B). — Hercules nudus, pharetram arcumque ferens, ad dextram incedit ut manibus corpus senis cujusdam marini amplectatur, cujus caput serpente alaque aut flamma surgente signatum. Litteris argivis, quum Herakles, tum ἅλιος γέρων inscribitur.

C). — Homo nudus sedens, ad dextramque versus, pedibus manibusque vinctis. Avis haud plane servatur quæ supplicium Prometheos certo testatur indicio.

D). — Hercules, pharetram arcumque ferens, ad dextram incedit, manu librante robur; quem fugere tentat senex nudus, forte κῆρ, cujus vultus, versus ad sinistram, perterritus esse videtur.

28. — Olympiæ repertum. Athenis, in eodem musæo. — *Olympia, Die Bronzen*, tab. XXXIX, 700, p. 103.

Lamina, cujus duæ partes superpositæ.

A). — Homo nudus alatusque ad dextram properans, arcum tenens.

B). — Hostes duo, quorum unus ad sinistram incedit.

29. — Olympiæ repertum. Athenis in eodem musæo. — *Olympia*, *Die Bronzen*, tab. XXXIX et fig. 1-2, p. 103.

Tria ectyporum fragmenta.

A). — Pedis pars alati. Litteræ juxta inscriptæ.

B). — Pes cnemide tectus. Juxtà, tres apparent litteræ.

C). — Anguis, ut videtur, pars.

30. — Olympiæ repertum. Athenis in eodem musæo. — *Olympia*, *Die Bronzen*, tab. XXXIX, 701, p. 103.

Ectypi pars, haud plane integra.

Achilles nudus ad dextram incedit, hastam manibus tenens. Cujus mentum dextra supplex tetigit Priamus, sinistra sceptrum tenens. Humi jacet mortuus Hector.

31. — Olympiæ repertum. Athenis, in eodem musæo. — *Olympia, Die Bronzen*, tab. XXXIX, 702, p. 103.

Puer, equo vectus, ad sinistram progrediens.

32. — Olympiæ repertum. Athenis, in eodem musæo. — *Olympia*, *Die Bronzen*, tab. XXXIX, 704, p. 104.

Lamina, cujus duæ partes superpositæ.

A). — Apollo nudus, ad dextram incedens, Herculem persequitur, qui fugit eodem, tripoda manibus amplectens, retrorsum verso capite.

B). — Tres apparent viri, ni fallor, inter se dimicantes.

33. — Olympiæ repertum. Athenis, in eodem musæo. — *Olympia*, *Die Bronzen*, tab. XXXIX, 705, p. 105.

Similis lamina.

A). — Tria tantum apparent capita.

B). — Ajax, clypeatus galeatusque, parvulam nudamque Cassandram insequitur quæ Palladis imaginem, scuto armatam, dextra amplectitur.

34. — Olympiæ repertum. Athenis, in eodem musæo. — *Olympia*, *Die Bronzen*, tab. XXXIX, 706, p. 104-5.

Currus quadrigarum quo duo viri vehuntur galeati.

35. — Alt., 0^{m},12. — Eleutheris repertum. Athenis, in Publico Musæo (7866). — *Bronzes du Polytechneion*, p. 137, n. 797.

Ectypum cui, marginibus exceptis, alt. invenies, 0^{m},042, lat., 0^{m},042.

Leones duo sedentes, retrorsum verso capite.

36. — Eleutheris repertum. Athenis, in eodem musæo (7867). *Journal of Hellenic studies*, 1892-3, p. 254-5, tab. IX, 2. *Bronzes du Polytechneion*, p. 137-8, n. 798, *a*.

Lamina, cujus tres partes juxta positæ. Latitud. invenies, 0^{m},20, et, parti mediæ, marginibus exceptis, 0^{m},73, altit., 0^{m},04.

A). — Feminæ duæ ad sinistram incedunt, longa veste et ionico ἱματίῳ indutæ, ramum coronamque, ut videtur, ferentes.

B). — Femina, simili veste induta, ad dextram versa puerumque brachiis tenens. Sequitur Hercules, arcum tenens, caput pelle leonis tectus, ad quem obvia procedit Pallas hastam clypeumque tenens, galeato capite.

C). — Quadrigarum currus cujus equi tantum plane apparent.

37. — Alt., 0m,065. Lat., 0m,102. — Prope templum Ptoiï Apollinis repertum. Athenis in Publico Musæo. — *B. C. H.*, 1892, tab. XIV, 1, p. 364, δ (Holleaux).

Laminæ pars longioris, nec ulla linea divisa (similia ectypa invenies sub numeris **38-40**).

Sphinges duæ sedentes interposito ramo. Dextrâ, stella quædam apparet atque extrema pars alæ.

38. — Alt., 0m,049. Lat., 0m,081. Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1892, tab. XV, 2, p. 364, ε.

Aves duæ cum grypis capite, sedentes, sive procedentes, interposito gallo ad dextram verso. Sequitur sphinx ad dextram versa.

39. — Alt., 0m,064. Lat., 0m,050. — Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1892, tab. XV, 2, p. 364, δ'.

Aves stantes, palma quadam interposita singulari, humano capite præditæ et, ut videtur, barbato.

40. — Alt., 0,057. Lat., 0,106. — Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1892, tab. XIV, 3, p. 364, ζ.

Si a sinistra incipies, cycnum invenies incedentem, gallumque stantem, ad dextram versos. Ramus inter aves positus.

41. — Alt., 0m,035. Lat., 0m,041. — Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1892, tab. X, 1, p. 349-350, A.

Ectypi pars, sicut numeri **42-3**.

Gorgo ad dextram properans, angues manibus tenens.

42. — Alt., 0m,022. Lat., 0,040. — Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1892, tab. X, 2, p. 350-1, B.

Hercules (?), robur dextra librans, perterrito inimico atque, ut videtur, horrentibus capillis.

43. — Alt., 0m,030. Lat., 0m,049. — Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1892, tab. X, 3, p. 351-2, C.

Prometheus, sedens in humili sede, ad sinistram versus, avis ala fatalis prope genu apparente.

44. — Alt., 0^m,025. Lat., 0^m,050. — Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1892, tab. X, 4, p. 352-3, D.

Similis lamina cujus duæ partes superpositæ.

A). — Jupiter nudus coronaque cinctus ad dextram properat, fulmen librans contra Typhonem alatum supplicemque tollentem manum.

B). — Sphinx sedet ad dextram versa. Sequitur palma quædam forma elegantiore.

45. — Alt., 0^m,075. Lat., 0^m,070. — Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1892, tab. XI, 3, p. 353-7.

Similis lamina cujus partes duæ superpositæ eademque tabulâ ornatæ.

Juvenis nudus, ad dextram versus, porrigit coronam alteri cujus manus tantum servata.

46-7. — Alt., 0^m,055 et 0^m053. Lat., 0^m,092 et 0^m,070. — Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1892, tab. XI, 1-2, p. 357-8, α, α'.

Duæ similes laminæ, formâ longiores.

Bigarum (?) currus ad sinistram incedentium, avi insuper volitante, aurigæ retrorsum verso capite. Ad dextram incedit femina, longâ induta veste, dextraque librans hastam. Sequebatur, ut videtur, vir eodem versus.

48. — Alt., 0^m,056. Lat., 0^m,079. — Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1892, tab. XV, 1, p. 358, β.

Lamina cujus duæ juxtà positæ partes.

A). — Vir, ut videtur, ad sinistram incedit, longa pendente coma, longaque et picta simul veste indutus.

B). — Sphinges sedentes duæ.

49. — Alt., 0^m,64. Lat., 0^m,092. — Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1892, tab. XV, 3, p. 358, γ.

Sphinges incedentes duæ atque inter se spectantes.

50-56. — Orchomeni reperta. Athenis, in Publico Musæo. — *B. C. H.*, 1895, p. 221, n. 887-893 (A. de Ridder).

Ectypa septem formâ longiora.

Aves apparent, seu stantes, seu volitantes, male pleræque servatæ.

57. — Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1895, p. 221-2, n. 894, fig. 23. — Fig. 7.



Fig. 7 (**57-8**).

Gryps ad sinistram incedens, hiante gula.

58. — Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1895, p. 221-2, n. 895, fig. 23. — Fig. 7.

Sphinx ad sinistram incedens, barbato mento et flore quodam a capite pendente. Ramus sinistrâ inter sphingem positus est aliamque, ut videtur, persimilem.

59. — Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1895, p. 222-3, n. 896.

Sphinx sedens, ad sinistram versa. Altera obvia sedebat.

60. — Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1895, p. 222-3, n. 896.

Sphinx sedens, ad sinistram versa, avi eodem volitante.

61-69. — Ibidem reperta. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1895, p. 222-3, n. 897-905, cf. fig. 24.

Sphinges novem incedentes ad sinistram.

70. — Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1895, p. 222-3, n. 906, fig. 24. — Fig. 8.




Fig. 8 (**70**).

Sphinx, sive gryps, ad dextram incedens, ramo simplici inter monstrum posito alterumque simillimum.

71. — Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1895, p. 223, n. 907, fig. 26. — Fig. 9.




Fig. 9 (**71**).

Sphinx ad dextram incedens.

72-79. — Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1895, p. 223, n. 908-915.

Sphinges octo ad dextram incedentes.

80. — Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1895, p. 223-4, n. 916, fig. 25. — Fig. 10.



Fig. 10 (**80**).

Centaurus ad sinistram incedens, manu tenente ramum, ferinis posterioribus pedibus et, ut videtur, humanis anterioribus, quod haud plane dijudicare licet ex figurâ parum ad fidem delineata.

81. — Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1895, p. 224, n. 917, fig. 27. — Fig. 11.



Fig. 11 (**81**).

Currus quadrigarum, nullo præsente auriga.

82-3. — Ibidem repertum. In eodem musæo. — *B. C. H.*, 1895, p. 224, n. 918-9.

Currus duo similes.

84. — Eleutheris repertum. Athenis, in Publico Musæo. — Quod fragmentum mihi liberaliter communicavit P. Wolters. — Fig. 12.




Fig. 12 (**84**).

Aves duæ, barbato mento, stella interposita forma quadam singulari, quum inter quatuor radios folia intersunt plura.

C). — Laminæ similiores (**85-97**).

Quibus ectypis non possum quin alia addam similia quæ sive superposita, sive supposita palma ornata (A), aliaque rursus quæ formam eam adepta gallice *losange* vocatam (B). At, quum artem spirent plerumque diversam, laminas quam brevissime describam.

I

85. — Olympiæ repertum. — *Olympia*, t. IV, *Die Bronzen*, tab. XXXIX, 703, p. 104.

Viri duo nudi, quorum gladium tenet unus, brachium tollit alter. Incertum inter se dimicentne an, hostes, se subito agnoscant amicos.

86. — Olympiæ repertum. — *Olympia*, t. IV, *Die Bronzen*, p. 105, n. 707.

Puer, equo vectus, ad dextram progrediens baculumque tenens.

87-9. — Athenis in Acropoli repertum. — *Bronzes de l'Acropole*, p. 117, n. 358-360. *Athenische Mittheilungen*, 1895, tab. XIV, 2, p. 479-481. — Fig. 13-5.




Fig. 13 (**87**).



Fig. 14 (**88**).



Fig. 15 (**89**).

Tres laminæ similiores, in quibus leones duo cælantur sedentes, retrorsum verso capite.

II

90. — Orchomeni repertum. — *B. C. H.*, 1895, p. 221, n. 885.

Leones videntur sedentes.

91. — Athenis in Acropoli repertum. — *Annali*, 1880, tab. H, 1, p. 135 (Furtwængler). *Bronzes du Polytechneion*, p. 138, n. 801.

Leones duo sedentes, retrorsum verso capite, crure uno anteriore sublato, altero humi posito.

92. — Athenis in Acropoli repertum. — *Journal of Hellenic studies*, 1892-3, p. 256-7, fig. 25. *Bronzes de l'Acropole*, p. 119, n. 369.

Similes leones, nisi quod ad dextram currit vir nudus, gladium tenens, inter monstrorum crura properans.

93. — Athenis in Acropoli repertum. — *Bronzes de l'Acropole*, p. 119-120, n. 370.

Similis lamina, hominis capite ad sinistram retrorsum verso.

94-6. — Athenis in Acropoli reperta. — *Bronzes de l'Acropole*, p. 120, n. 371-3.

Similes leones, nisi quod scorpii juxta positi.

97. — Athenis in Acropoli repertum. — *J. of Hellenic studies*, 1892-3, tab. VIII, p. 257-8.

Quadrigarum currus quo vehitur Νίκη, capite ad sinistram verso.

II

ORNAMENTORUM CATALOGUS.

Quorum ectyporum partes diversis quibusdam ornamentis inter se divisas invenies.

α). — Spiræ triplice sive quadruplice filo nexæ (*Flechtband, torsade*).
α'). — Spiræ forma simpliciores.
β). — Granorum series inter duas lineas similes minimoque intervallo distantes posita.
γ). — Granorum similis series minimorum.
δ). — Lineæ transversæ, sicut scalæ cujusdam, pro granorum serie positæ.
ε). — Mæandros forma simpliciore.
ζ). — Ova lineis quadratis circumducta.

Quæ sex ornamenta tabulam omni a parte minime circumeunt, sed diversis nexa sunt commissuris.

A. — In margine inferiore et superiore, β (quod ornamentum bis est repetitum, zona intermissa vacua). — In dextrâ sinistrâque, ζ (**81-3**).

B. — Similis lamina, nisi quod in margine dextrâ sinistrâque γ est substitutum (**17, 61**).

C. — In margine inferiore et superiore, γ (bis repetitum) in sinistra dextraque, iterum γ (**7-8, 21-22, 37-40, 45-47, 50-56, 59-60, 72-9**).

D. — Similis lamina, nisi quod dextra sinistraque, in margine, est ζ substitutum (**20, 26, 36**).

E. — Similis lamina laminæ C, nisi quod in margine superiore et inferiore ornamenta γ sunt juxtà posita (**48**).

F. — In margine superiore atque inferiore, γ, in dextra sinistraque, α' et ε, zona intermissa vacua (**71**).

G. — In margine superiore atque inferiore, γ (ornamento δ interdum intermisso), in dextra sinistraque, ε (**80**).

H. — In margine superiore atque inferiore, γ et ζ superposita, in dextra sinistraque, ζ (**25**).

I. — In marginibus quatuor, ζ (**9, 15, 49, 57-8, 62-70**).

K. — In margine superiore atque inferiore, ζ, in dextra sinistraque, α (**6, 11-14, 18, 23, 27, 29-30, 35, 41-44**).

L. — In margine inferiore atque superiore, ζ, in dextra sinistraque, α et γ, juxtà posita (5).

M. — In margine inferiore atque superiore, ζ, in dextra sinistraque, γ (10).

N. — In margine inferiore atque superiore, ζ, in dextra sinistraque, simplex linea (2, 32, 33).

O. — In margine superiore, ζ, in tribus aliis marginibus, simplex linea (1, 3).

P. — In margine superiore atque inferiore, simplex linea, in dextra sinistraque γ (16).

Q. — In marginibus quatuor, α (28).

Notandum est plura esse fragmenta quæ, quum carerent margine, hic adnumerare non poteram — nec defuisse laminas quas non ita certum sit, quum minime sint integræ, sortibus definiri præcedentibus.

CAPUT SECUNDUM.

CUR ECTYPA VOCATA SINT « ARGIVO-CORINTHIACA. »

Ectypa quæ supra memoravi, non solus, A. Furtwængler, sed, ipsi G. Bather et M. Holleaux — quibus tribus non paucos addere facilioris esset operis — miro quodam consensu, argivaque simul ac corinthiaca esse contenderunt. Quod cum verum esse minime credam, eò magis necesse fit ut causas omnes pro viribus ad fidem exponam, quibus doctissimi viri confidere potuerint.

1. — Primum litteræ memorandæ argivæ quibus ectypum ornatur Olympiæ repertum (27, B), neque ipse confiteri recusem me, cum primum similem laminam reperissem Orchomeni, similes inscriptas esse litteras credidisse, sed, postquam fragmentum Athenis nuper inspexi, me tunc errasse non potui quin intellegerem (1). — Argivæ insuper fuisse videntur spiræ illæ multiplices quibus ectyporum partes sunt inter se divisæ (α), quum multorum clypeorum margines inventæ sint simili ornamento incisæ clypeorumque sit origo, ut fama fert, argiva (2). — Denique sigilla quædam fictilia, imo ectypa fictilia sunt, sive ipsis in Argis, sive in templo vicino, quod Heræum vocatur, reperta, quæ laminarum ænearum non sunt ita dissimiles (3). — Sequitur argivum fuisse ectyporum genus.

2. — At nonnulla, inter hæc ectypa, sunt Corinthi reperta, non specula tantum (3-4), sed laminæ usus incerti (20-26). — Quod cum notasset A. Furtwængler, subitò meminit æs Corinthiacum mixtura quadam fuisse compositum, quam, quum in-

(1) Addam, quod tunc primum intellexi, jam anteà vidisse Th. Homolle, virum inscriptionum græcarum maxime expertum. Cf. *Bronzes du Polytechneion*, p. 135, 5. *B. C. H.*, 1895, p. 167, 11, p. 221, 886.

(2) *Bronzefunde aus Olympia*, p. 80, 93.

(3) *Arch. Zeitung*, 1856, p. 169 sqq. — *J. of Hellen. Stud.*, 1892-3, p. 249, 5.

certa sit, tamen constat auratam fuisse (1), aurataque reipsa reperta sunt plura ectyporum (2). Addendum non laminas tantum, sed, si ita dici potest, primordia laminarum Corinthi esse reperta, quum ectypa quædam jamdudum nota sint corinthiaca nostris valde antiquiora (3). — Sequitur corinthiacum fuisse ectyporum genus.

3. — Assueverunt viri docti, quum monumenti cujuslibet antiqui originem ætatemque deprehendere volunt, non solum ubi repertum sit exquirere, sed cum quibus rebus sepultum, imo quantam depressum in altitudinem. Ptoïi autem, prope templum illud bœoticum, ectypa quum invenisset M. Holleaux (39-49), vasa unâ invenit multa corinthiaca, quæ non fors, ut sentit auctor, juxta tulerit, sed, ut probabilius, communis origo (4). Atque, quum ipse in parte longe diversa Bœotiæ, Orchomeni, supellectilem effodissem diversam (*B. C. H.*, 1895, p. 137-224), ectypa simul inveni, simulque corinthiaca vasa. — Sequitur iterum corinthiacum fuisse ectyporum genus.

4. — At multa sunt, sive adhuc exstantia, sive libris atque conjectura tantummodo nota monumenta, quæ cum ectypis diverso quodam nodo connexa sunt. Sculpturæ inventæ spartanæ (5) tegeaticæque (6) quæ laminarum apparent similiores. Imo inclyta illa, Teneæ reperta, statua, qua deum volunt reddi Apollinem, non corpore gracili tantum, sed facie comâque typum propemodum refert in ære expressum (7). Ectypum deinde memorabo Olympiæ repertum ectyporum nostrorum haud dissimile (8), et, si famæ credendum, Cypseli celeberrimam arcam (9). — Quæ cuncta monumenta in Peloponneso facta peloponnesiacam scilicet spirant artem (10). — Sequitur peloponnesiacum fuisse ectyporum genus.

5. — Argumenta insuper plura notanda, quæ in ectypis expressa videntur, corinthiacorum vasorum peculiaria. — Primum ornamentum illud quod Germani *Vierblatt* nominarunt, quum

(1) Plinius, XXXIV, 8.
(2) *Anzeiger*, 1894, p. 117-8.
(3) *Arch. Zeitung*, 1884, tab. 8, p. 99 sqq.
(4) *B. C. H.*, 1892, p. 368-9.
(5) *Athen. Mittheilungen*, VIII, tab. XVIII, 2, p. 371-3.
(6) *Ibid.*, IV, p. 135. 32, tab. VII.
(7) *Histor. und Philol. Aufsætze*, p. 180. — *B. C. H.*, 1892, p. 357.
(8) *Olympia*, tab. XXXVIII, 696, p. 100.
(9) Pausanias, V, 17, 11.
(10) *B. C. H.*, 1892, p. 354-5.

Eleutheris (**84**), tum Ptoïi repertum (1). — Tum sphinx redditur corinthiaca (2), ala curva, nec, ut solet ionica, prorsus angulari, femore quoque punctis ornato (3). Quæ in vasis nunquam incedit quum incedat in ectypis (**49, 58, 61-79**). Quid si incedit gryps in ectypo Olympiæ reperto, nostrorum simillimo (4) ? — Currus ipse corinthiacus, quum rota radios habet quatuor aurigæque retrorsum est versum caput, imo avis insuper volitat, quod in vasis haud ita rarum corinthiacis (5). — Avis denique, seu siren barbata, prorsus est corinthiaca (6), nec minus ea quæ grypis capite prædita (7), neque, nisi memoria decipior, alibi usquam expressa fuit, ipso grype pictori chalcidico parum, ut videtur, noto (8). — Quæ monstra duo plerumque sunt, vel, quod rarius, tria, sive inter se spectantia, sive, averso capite, junctis inter se cruribus. Paria autem non minus sunt corinthiaca, quam, ut credebatur, chalcidica (9), et, si quæ inter posita persona, rursus id valde corinthiacum (10). — Sequitur denuò corinthiacum fuisse ectyporum genus.

Ut argumentum breviter concludam, ectypa, inter se similia (11), corinthiaca simul esse ostendimus atque argiva et peloponnesiaca. Igitur « argivo-corinthiaca » sunt recte nominata.

(1) *B. C. H.*, 1892, p. 368.
(2) *B. C. H.*, 1892, p. 359.
(3) *B. C. H.*, 1892, p. 360.
(4) *B. C. H.*, 1892, p. 361.
(5) *B. C. H.*, 1892, p. 361-2.
(6) *B. C. H.*, 1892, p. 366.
(7) Cf. **21-2, 38**. *Anzeiger*, 1893, p. 117-8.
(8) *B. C. H.*, 1892, p. 366.
(9) *B. C. H.*, 1892, p. 367.
(10) *B. C. H.*, 1892, p. 367.
(11) *B. C. H.*, 1892, p. 348.

CAPUT TERTIUM.

CUR ECTYPA MINIME SINT « ARGIVO-CORINTHIACA. »

Si causas iterum repetimus quas supra exposuimus, non animadvertere non possumus rem difficiliorem obscuram ambiguamque adhuc permanere, quum partes singulæ rei factæ sint dilucidiores. Quid enim, volunt idem esse, sive corinthiacum, sive argivum, sive etiam peloponnesiacum. Nec nego illarum artium exempla esse ectyporum nostrorum interdum similiora. Sed aliud similem esse alicujus, aliud ipsum aliquem esse. Ac si intellegi potest ectypa aut corinthiaca aut argiva aut peloponnesiaca esse, neque unquam accepi, nec accipiam unquam tria simul esse prorsus penitusque diversa.

Quod mihi sensisse videntur docti illi viri, sed rem, ut solet, præstrinxerunt. Animadvertit A. Furtwængler artem corinthiacam unam eamdemque esse atque argivam artem (1). Sed, quod semel dixit, monstrare debuit. Præceptum illud pythagoricum αὐτὸς ἔφα religionis peculiare, doctrinæ alienissimum. Fateor argivam artem inter ætatem illam mycenæam atque quintum a D. saeculum minime notam esse, sed, si fieri potest ut sit eadem ac corinthiaca, fortuitum est ac possibile, minime certum.

Non alio modo quæram quid sibi velit adjectivum nomen « peloponnesiacum. » Cur magna illa pars Græciæ artem unam adepta esset, præsertim temporibus illis antiquissimis, ubi ars ipsa parum certa, artis leges inchoatæ? Quid Peloponnesus, nisi Corinthum contineat et cur Corinthus potius esset Peloponnesi quam Græciæ illius quæ dicitur continens? Exempla quædam facilius arcessere ex omnibus partibus sumpta, nullo vinculo inter se cohærentia, sed errat qui credit exemplis, ut ita dicam, vagis artem constitui artis nomine dignam.

Præterea etiamsi ars esset peloponnesiaca, non minus esset

(1) *Olympia, Die Bronzen*, p. 165.

necesse eam unam esse ac corinthiacam demonstrare, at ita res se habere crediderunt, nullus curavit ut demonstraret.

Igitur adjectivum illud nomen ambiguum « argivo-corinthiacum » repudiandum. Hoc verbo nil significatur, quum incertum sit an ars exstet argivo-corinthiaca, incertius an ars sit argivo-corinthiaca-peloponnesiaca.

Priusquam causas ex ordine repetamus, hoc nunc est examinandum num ectypa sint, ut dicunt, inter se simillima, non argumento tantum atque arte, sed altitudine ac latitudine (1). Quod si verum, difficilius esset laminas duobus aut tribus in locis expressas esse, imo necesse communi ortas esse origine, quam dicebant « argivo-corinthiacam. » — Concedam recte concludi, sed primordia sunt falsa a quibus concluditur. Ipse A. Furtwængler, primo illo opusculo quod E. Curtio dedicavit, confessus est ectypum **1** præ altitudine latius esse, quum olympiaca exempla sint prope quadrata, imo altitudinem ejusdem laminæ non eamdem esse ac Olympiacarum, sed paulo minorem (0^m,045 pro 0^m,049) (2). Quid si ectypa conferamus Athenis in Acropoli reperta, **11** et **12** : sunt iterum propemodum quadrata, sed diversa uniuscujusque mensura (0^m,045 et 0^m,051). Quid si duas laminas Eleutheris repertas **35**, **36** : altitudine sunt diversa (0^m,4 et 0^m,42), formâ diversiore. Quid si exempla bœotica, quum Ptoïi, tum Orchomeni reperta : rursus novos numeros invenies, diversas inter se mensuras. — Forte evenit, quum supellex, illis laminis ornata, formæ sit plerumque, sive ejusdem, sive similioris, nonnulla ectypa, quum formâ, tum mensurâ esse simillima. Sed casu accidit, minime est necesse.

Sequitur ectypa, non diversis tantum in locis reperta, sed diversioris esse formæ. Neque ulla necessitudine cogimur ut illis originem tribuamus eamdem, quod intellegere licet quantum ad id referat quod animo proposuimus. — Nunc licebit eas causas accuratius repetere quas suprà exposuimus.

1. — Argivas esse litteras ectypi olympiaci **27**, B, non est cur non concedamus, licet rhodiæ esse possint, quod non minus forte probabile, quum credamus laminarum originem, sive rhodiam arte, sive asiaticam. At ectypum, etiamsi fragmenta jungimus **29**, A, B, prorsus unicum est atque singulare. Etiam alia quæ Olympiæ reperta litteris omnino carent, quum sint

(1) *B. C. H.*, 1892, p. 348.
(2) *Histor. und Philol. Aufsætze*, p. 184.

margines eodem modo ornatæ, omnia, præter litteras, simillima. Qua consuetudine minime utebantur fabri illi, valde imperiti, sed quæ fecerant cuncta signo notabant (ne pluribus utar exemplis, vas confer illud quod *François* vocatur). Clarum utique admodum erat scenæ argumentum, quum contra pugna illa Herculis 27, D, quamquam parum certa, nullis litteris illustratur. Notum insuper Delphicum thesaurum, quum Siphnium, tum Cnidium vocatum, litteris illustratum esse minime argivis, quum in uno clypeo lambda illud argivum plane sit incisum. Incertum igitur argivusne sit annon is qui sculpsit, quum minime sit ars sculptoris argiva. Ita incertum isne qui laminam expressit litteras inciderit argivas, an alius qui ectypa emerit. — Si rursus concedam argivas litteras a fabro argivo impressas, unicum memorabo exemplum esse, neque omnino certum esse cetera ectypa a fabro argivo confecta, ergo argiva esse, quum hoc signo careant quod volunt argivum. —

Quid de spiris illis quas dicunt argivas? Clypeorum margines fateor spiris ornatas multiplicibus, non secus ac nostrorum ectyporum oræ (cf. suprà K, L, Q). Sed clypeorum margines nescio cur pro argivis ducantur, licet argivas esse affirmaverit Furtwængler, fama scilicet nixus quæ clypeos refert primum Argis confectos esse. Ego vero contrà monstravi famæ famam facilius opponi, clypeosque, si quibusdam credendum, primum Thebis confectos (1). Quum ita veteres inter se dissentiant, argivos esse clypeos, non modo dubitare nobis licet, sed dubitare debemus. Etiamsi argivi sint origine, cur spiræ argivæ? Ornamenta plura esse quibus incisæ margines, dicere pudet, nam luce clarius : cur inter tot ornamentorum genera, spiræ essent præsertim argivæ?

At dixerit aliquis spiras in vasis corinthiacis nonnunquam exprimi? Si non argiva, corinthiaca saltem esset spirarum origo. — Sed prorsus rara sunt vasa illa corinthiaca (2), quum frequentissima sint, ut infra videbimus, ionica vasa tali ornamento, sive divisa, seu decorata. Spiram effingere si assuevissent fabri corinthiaci, cur, quum tot habeamus corinthiaca vasa, perpauca essent ita ornata? Fateri necesse ornamentum minime corinthiacum, quod in corinthiacis monumentis rarissi-

(1) *Bronzes du Polytechneion*, p. 67-8. Cf. Plinium, VII, 200, et *J. of Hellen. Stud.*, 1892-3, p. 217-8.

(2) *B. C. H.*, 1895, p. 226-7, n. 3, 7 (Pottier).

mum : quum contra sit in ectypis frequentissimum, sequitur ectypa minime esse corinthiaca. —

Fictilia sigilla ectypaque dicunt plura in Heræo reperta quæ laminarum ænearum similiores. Res si ita se habet, sperandum ea quæ invenerint Americani, mox juris fore publici : fragmenta quum non viderimus, nec attentius inspexerimus, de illis frustra esset disserere. Hoc tamen mirandum, tam multis rebus, nec fictilibus tantum, sed æneis quoque in Heræo repertis, nullum ectypum æneum esse repertum quod cum nostris conferre liceat. Si ectypa essent argiva, talis casus esset maxime singularis, magis etiam verò singularis, si fictilia ectypa, nostrorum simillima, ex æneis essent, ut solet, deprompta (1).

Si causam illam primam resumimus, litteras argivas uni tantum valere laminæ ostendimus, quum spiræ sunt minime argivæ fictiliaque ectypa nondum sunt studenti documenta.

2. — Ectypa quædam volunt esse Corinthi reperta, nec nego, sed, re parum comprobata, affirmantibus assentiri omni ope non possum. Sciunt enim qua lege Græci nunc utantur, quæ vetet extra regni fines quidquid antiqui Græcus invenerit, transportare, imo secum interdum omnino domi habere. Fiunt igitur latrones qui, quod vetitum, nihilo minus faciunt, res vero prætendunt, aut alio in loco Græciæ, aut in Asia repertas, quos non est cur sinceros magis esse credas, quum musæi custodes græci, sive « archæologici », sive publici, neque Galli, aut Germani emptores sunt. Itaque, exceptis excipiendis, hæc tantum certis tribuenda locis, quæ his in locis palam effossa, cetera valde suspecta. — Specula duo corinthiaca, 3-4, non audebat ipse vir græcarum antiquitatum maxime expertus, St. A. Koumanoudes, Corinthi affirmare re vera reperta. Ideò ectypa berolinensia, 20-26, quæ dicunt prope Acrocorinthum inventa, non alia lege, minime confidam Corinthi reperta. Notum est enim mercatores qui talia secum transportant, vendendi causâ, non esse scientiæ illius quæ dicitur archæologia omninò imperitos. Assueverant autem viri docti ænea cuncta corinthiaca ducere, imo ectypa, beroliniensium similiora, corinthiaca vocaverant. Quod cum viderint Græci, novas laminas contenderunt

(1) Ex epistolis quas ad me liberaliter scripserunt viri docti Richardson et J.-C. Hoppin atque ex figuris quas adumbravit Hoppin, septem invenio ectypa fictilia, neque nostris exemplis similiora, sed potius Rhodiis.

Corinthi repertas commentisque, ut suprà memoravi, facilius est creditum. Forsitan sint, hac saltem in occasione, sincerissimi, sed fortuitum est, minime probabile. — Non possum, nec, ut opinor, doctus potest ullus, si modò sincerus, pro argumento, mercatorum commentis uti. —

Dicet A. Furtwængler æs quo factæ laminæ berolinenses corinthiacum esse, quod pars sit auri æri mixta. Sed, si auratum ectypum, num sequitur esse corinthiacum? Scio, fama quadam parum certa, mixturam laudari æris corinthiaci, sed in alio prorsus tempore, multòque recentiore. Quis audebit contendere omnia ex ære facta, si modo aurata, Corinthi esse cælata? Certum aliis in locis æneam conflatam esse supellectilem, non minus certum his in locis æs auratum conflari potuisse. — Præsertim, si ectyporum seriem repetam, pauciora inveniam aurata. Neque ego, quum quatuor ac triginta laminas effoderim Orchomeni, ullam inveni auratam, nec aurata est ulla Athenis in Acropoli reperta, præter exemplum illud 97, quod, quum multo recentius, tum arte est valde diversum. —

Laminas rursus memorant valde antequiores easdemque, ut fama, Corinthi repertas. Perspicuum est enim, si generis exempla, quum antiquissima, tum recentiora Corinthi essent reperta, genus necessariò fore corinthiacum. — At eadem de origine laminis objiciam veteribus, quæ nostris ectypis. Nescio Corinthine sint annon repertæ. Quas interdum si inspexeris, facilius agnosces non margines tantum diversas, sed argumenta artemque maxime diversa.

Si causam illam secundam resumemus, ectypa dicemus Corinthi esse confecta minime constare, quum æris mixtura valde sit incerta, nec primordia ulla laminis possint nostris jure adtribui.

3. — Vasa multa corinthiaca Ptoïi reperta esse, atque juxtâ cum ectypis effossa, pro certo habendum. Hoc vero cavendum, ne vasa credant tantummodo corinthiaca Ptoïi esse inventa; quod ut ita sit, abest quam longissime. Vasa enim erant genere diversiora, quum « geometrica », tum « proto-bœotica » atque « proto-corinthiaca. » Casu forte evenit ut corinthiaca exempla juxta laminas ænæas essent posita, notum est enim sæpissime terram his in locis perturbari, quum præsertim collis sit valde declivis.

Etiam si immota steterit terra, exemplo bœotico rursus aliud opponam bœoticum. Orchomeni autem nonnulla inveni vasa

corinthiaca atque, ut suprà memoravi, nonnulla ex illis ectypis. At *nunquam* vasa erant corinthiaca juxta laminas posita. — Si paginas illas memorare licet, in quibus indagines meas brevius descripsi, duobus præsertim in locis scrobem effodere jussi, quæ, diversas ob causas, Ἡρακλεῖον vocavi atque Ἀσκληπιεῖον. Laminas æneas, quum in Heracleio, tum in Asclepieio inveni (*B. C. H.*, 1895, p. 221, n. 1) (1). — Si ab Asclepieio incipimus ubi septem et viginti ectypa effossa sunt, pauciora vasa corinthiaca hac in parte inveni, nulla imo « aryballa, » unumque tantum « alabastron, » 404 (*B. C. H.*, 1895, 188, 3, p. 191), quum plurima tamen invenerim vasa « mycenæa », « proto-bœotica », « proto-corinthiaca », attica, omniaque, ut ita dicam, effoderim vasorum genera, præter unum corinthiacum (*B. C. H.*, 1895, p. 177, 2, p. 179, 6, p. 182, p. 203, 1). — In Heracleio contra vasa multa inveni corinthiaca, pauciora vero ectypa (**74-80**). Imo ectypa non erant juxta vasa posita. In forma illa quam delineavi templi (p. 151), fossam videre licet longiorem in qua columna reperta : ibi vasa quoque pleraque reperta. Laminas vero juxtâ basim N N′ N″ N‴ effodi, ubi nil inveni corinthiacum ; vasa tantum erant « proto-bœotica » (*B. C. H.*, 1895, p. 179, 6) atque fictilia quædam sigilla (*ibidem*, p. 173-4, n. 35-42, fig. 9-11).

Sequitur corinthiaca vasa nulla conjunctione naturæ cum ectypis juncta, imo, si Orchomeni credimus exemplo, ubi carent vasa corinthiaca, laminas apparere æneas. — Argumentum illud tertium denuò repudiare licebit.

4. — Monumenta si conferimus peloponnesiaca, dissimilia cavendum ne conferamus similibus, et, ut plerique solent, statuas ectypis. Necesse fit enim ut difficilius sit marmor sculpere, vel petram duriorem, quam laminam lentam et superficie minimam. Ideo non sculptores imitantur fabri ærarii, sed ærarios sculptores. Statuas imo quas prætendunt, quis affirmare poterit esse ectypis antiquiores. Si vero recentiores, quo vinculo necessario cum ectypis junguntur ? At, ne pluribus utar verbis, exempla inspiciamus singula.

Spartanum monumentum (2) juvenes refert duos stantes coronamque manu tenentes. Sunt crura, ut interdum in ectypis, graciliora, sed arte videntur multo perfectiora, laminisque longe recentiora. Præterea summa pars stelæ minime servatur, ubi

(1) N^{os} **74-80** in Heracleio ; **50-73**, **81-83** in Asclepieio.
(2) *Athen. Mittheil.*, VIII, tab. XVIII, 2.

vultus expressus, pars maxima viri. Denique in ectypis, quorum argumentum similius, non stant, sed incedunt duo, qui finguntur, homines. Si quis meminerit duobus monumentis originem eamdem non ullo modo posse tribui, nisi cuncta in illis simillima, non est cur spartanam illam retineamus sculpturam.

Si tegeaticam (1) conferemus, mulierem sedentem floremque tenentem adspiciemus, stante puero ante mulierem nudo. Ars vero longe diversa, quum crura sint crassa, corpus humilius, caput majus et nescio quâ mollitie expressum. Nil inest peloponnesiaci, at, si par desideretur exemplar, non ullum aliud reperiam quam parium unum, prorsus ionicum (2). — Sequitur ut, si ectypa tegeatici monumenti similia essent, necessario essent ionica, — sed nobis fatendum minime esse similia, multò minus etiam quam spartani.

Apollinem, Tenea repertum, non sine quodam jure, cum laminis conferunt. Est enim statura grandis, pectore tenuis, cruribus longis, coma denique vultuque ectyporum similior. Sed notandum statuam, non eodem in loco, quo reperta, confectam esse, sed constare e marmore pentelico (3). Scio usitatum fuisse marmor, sive parium, sive pentelicum, quum duo genera essent longe excellentissima, sed in illis temporibus, rudibus adhuc atque commercii minus expertis, nondum prævaluerat consuetudo. Plerumque sculptor petram e vicino monte effoderat, quam postea informabat. Ceteroquin non longe a Tenea colles adsunt plures quorum durus lapis, ad sculpendum non minus idoneus quam atticus lapis Hymetti, aut bœoticus Livadiæ. Igitur non marmor arcessitum quo Apollo factus, sed ipse ab Attica arcessitus Apollo. Nec desunt indicia multa, si statuam confers cum sculpturis atticis eadem ætate confectis, artem exprimi prorsus penitusque eamdem, Apollinem ergo atticum esse, id est ionicum (4). — Si mihi, quid sentiam, profiteri licet, Apollinem quoque laminis multò recentiorem credo, nec fabrum ærarium unquam statuam imitatum fuisse. Atticum vero monumentum imitatus esset, minime peloponnesiacum. —

Ectypum olympiacum nescio cur, miro quodam doctorum consensu, artem spirare dicatur peloponnesiacam. Quid enim? Olympiæ est certò repertum. Sed incertum quæ sit laminæ

(1) *Athen. Mittheil.*, IV, tab. VII.

(2) *Arch. Epigr. Mittheil. aus Œsterreich*, 1887, tab. V.

(3) Brunn, *Description de la Glyptothèque*, p. 50, 41.

(4) *Bronzes du Polytechneion*, p. 136. 2.

origo, incertius qualis sit ars, nec, nisi dicta probantur esse vera, nullo adducto argumento, vera esse confidere possum. — Quid de Cypseli arca? Quam Pausanias quidem descripsit, sed, ut solet, ambiguis verbis ac minime certis. Si vasa multa contuleris, septimo seu sexto ante Christum sæculo confecta, arcam fingere licebit, Pausania juvante — sed res incerta manebit, quæ plurimum refert, ars scilicet qua expressum quidquid Græcus viderit auctor. Si fabularum quæ aguntur argumenta novimus, quomodo agantur fabulæ, penitus ignoramus, quod ne obliviscaris, imprimis cavendum. Præsertim quum simile monumentum, nec melius, nec minus, sive notum, sive, ut velint, ignotum, thronum scilicet Amyclæum, Ionius confecerit faber, Magnes Bathycles, neque, quum unum sit opus ionicum, alterum credendum, licet simillimum, minime tamen ionicum. — Si vero de arte taces, quam ad verum dijudicare non possumus, solaque retines argumenta in arca ficta, nescio cur dixerint fabulas esse maxime peloponnesiacas. Quo enim tempore, etiamsi, in quodam loco, fabula esset orta, cunctis jam in locis erat nota, famam canentibus poetis, jamque vulgantibus « logographis. » Quod pertractare longioris esset operis, indicasse satis. — Nil est igitur cur peloponnesiacam contendant esse Cypseli arcam, imo, si quid sentiam dicere audeo, cur de tali monumento, prorsus penitusque ignoto, omnino loquantur.

Si causam illam quartam resumemus, ectypa dicemus exemplorum illorum, quæ peloponnesiaca volunt, valde esse dissimilia.

5. — Si ad singula transeunt, nonnulla reperiunt in ectypis expressa quæ contendunt esse corinthiaca.

Primum ornamentum illud quod *Vierblatt* nominarunt, quodque jure memorant in vasis corinthiacis sæpius expressum. At, si frequens in vasis, rarissimum in laminis, quum in duobus tantum exemplis bœoticis notetur. Præterea corinthiacum valde abest ut sit origine, quum in Assyria sit antiquitus repertum, in Bœotia jamdiu usitatum atque, quum in nummis, tum in vasis ionicis, sæpius expressum (cf. quæ notavi, *B. C. H.*, 1895, p. 198, 3).

Sphinx nescio cur sit magis corinthiaca, quum forma sit valde ionica, imo, ut infrà ostendemus, vultus sit, interdum, diversi, sive mollioris, sive contra gracilioris. — Si alæ formam animadvertimus, verum est, in monumentis quibusdam

ionicis, eam angularem reddi — sed non curvatam primi finxerunt fabri corinthiaci. Ne pluribus utar exemplis, vas confer naucraticum (*Naucratis*, II, tab. VII, 2), cui multa addere facillimum esset. — Femur quoque non soliti primi Corinthii punctis signare, sed usus est prorsus ionicus, cujus exemplum unum satis erit memorare, vas scilicet rhodium, nuper editum (*B. C. H.*, 1895, p. 74, fig. 2). — Sequitur, quum in vasis corinthiacis nunquam sphinx incedat, ectypa non esse, in quibus incedens fingatur, ullo modo corinthiaca. Nam grypes incedentes aliud, aliud sphinges incedentes, neque, ut suprà memoravi, corinthiacum esse credo ectypum illud Olympiæ repertum quod corinthiacum esse volunt, nullo vero demonstrant argumento.

Currus itidem in ectypis non aliter fingitur quam in ceteris artis antiquæ monumentis, quum rotarum radii quatuor tantum exprimantur in arte mycenæa atque in vasis quæ « Dipyli » sunt vocata, ergo atticorum antiquissima, ut taceam de innumeris recentioribus (1). — Auriga si retrorsum vertit caput, haud credo gestum esse corinthiaci pictoris peculiarem, quum in sculpturis atticis (2), vasisque nigro colore expressis (3) non aliter spectet partem tabulæ præcipuam. — Quid de avi quæ in corinthiacis vasis rarior apparet, frequentior in ionicis (4)? Singulare prorsus esset rem, in corinthiaca arte prorsus raram, de illa depromi, ita imo singulare ut fieri omnino non possit. —

Avem dicunt barbatam corinthiacam esse, libenterque confitebor in corinthiacis vasis nonnunquam expressam, licet, etiam in illis, raro referatur. Sed sirenis forma ex Oriente deprompta, sive assyria, sive sit babylonia (5). Quam si imitati sunt Corinthii, necesse est ut imitati sint quoque Ionii. Avem enim quum reperiamus in atticis quibusdam vasis antiquioribus (6), non video cur pictores potius a Corinthiis illam deprompsissent, quum compertum sit vasa quæ dicuntur « attico-corinthiaca, » minime esse corinthiaca, sed multò magis ionica. Insuper animadvertendum in vaso italico *a bucchero* sirenem effingi (7), quæ

(1) Daremberg et Saglio, *Currus*, fig. 2200-1, 2203, 2206, p. 1634-6.
(2) Ἐφημερίς Ἀρχαιολογική, 1884, pl. 7.
(3) Daremberg et Saglio, *Currus*, fig. 2207, p. 1636.
(4) *Jahrbuch*, 1886, p. 93, 25 (Studniczka).
(5) Dumont-Chaplain, p. 175.
(6) Cf. tripoda Tanagræum (*Arch. Zeitung*, 1881, tab. 3-4) et *Catalogue of Vases in British Musæum*, II, 215, p. 142.
(7) Furtwængler, *Besch. der Vasens. i. Antiquarium*, 1609, p. 190.

vasa pernotum quantum imitentur ionica quæcunque exempla.

Aliud de γρυπαετῷ. Exempla enim non desunt, in quibus monstrum pictum, ionica. Vas tantum memorabo cyrenæum, Naucratide repertum (1), alterumque naucraticum quod ionicum, nisi forte sit atticum (2). — At, si contendunt grypem esse minime ionicum, quod in vasis chalcidicis non appareat, satis erit respondere chalcidica vasa adhuc esse pæne omnino ignota, quum ea tantum chalcidica esse agnoscamus quæ litteris signentur chalcidicis, quum contra multa vasa credunt esse corinthiaca, quæ corinthiacis litteris minime decorentur. Si vero res ita se habet, innumera sunt ionicorum vasorum genera, ubi gryps expressus, quum rhodia, tum clazomenia, cæretana, naucratica, quorum exempla referre minime necesse. Inter tot monumenta quæ ante oculos haberet, cur faber ærarius illa delegisset corinthiaca, cum prorsus rara sint præ cunctis ionicis? —

Quæ monstra, seu sphinges, seu leones, seu grypes, sæpius duo finguntur, interposito ramo aut flore inter animalia surgente. Quam cum non animadvertisset consuetudinem Furtwængler, in iis quæ tum noverat ectypis, audacius, ut solet, morem prædicaverat esse ionicum (3), ectypaque ideo esse peloponnesiaca quod paria in ectypis rarò appareant. At interdum ectypa plura nota paribus ornata. Tunc argumentum quum denuò exprimeret M. Holleaux, ita immutavit, ut prorsus contraria prædixerit. Hoc vero quærendum si veriore ac meliore usus sit argumento.

Paria nonnunquam apparere in vasis corinthiacis recte animadvertit, nec negare velim, hoc vero tantum opponere, ornamentum scilicet prorsus rarum esse, quod in ionicis frequentissimum. Quo in loco, mihi liceat quæ ipse effoderim Orchomeni, brevi memorare. Quum circa trecenta invenerim sive « aryballa » sive « alabastra » corinthiaca, duodecim tantum reperi quæ tali ornamento decorentur (*B. C. H.*, 1895, p. 191). Cujus rei quum causas quærerem, præcipuam esse credidi paria picturæ minime convenire, ærarii vero arti prorsus idonea. — Eò significantius apparet vasa quædam esse, in quibus paria frequenter expressa sunt. Rhodia cum multa aut cypriaca exempla referre possim, ea vasa tantum repetam quæ « attico-corinthiaca » falsò vocantur. Seriem si respicias quam illustra-

(1) *Naucratis*, I, tab. IX.
(2) *Naucratis*, II, tab. XIII, 2.
(3) *Hist. und Phil. Aufsætze*, p. 189-190.

vit Holwerda (1), pæne in uno quoque exemplo paria reperire possis, quam consuetudinem non a Corinthiis fabris, quibus quasi ignota, sed ab Ioniis, quibus pernota, vascularii certò desumpserunt. Sequitur ut ectypa minime corinthiaca sint, quorum ornamenta minime corinthiaca sint comperta.

Si duobus personis tertiam addes interpositam, rursus consuetudinem invenies qua usi sunt Corinthii, quæ vero minime in arte corinthiaca orta (2) sit, quum, naturali quodam vinculo, more gignatur priore, utque mos ionicus, ionica quoque esse debeat.

Si causam illam quintam repetimus prioresque quatuor resumimus, ostendimus, ni errore graviore decipior, non ullum expressum argumentum quod refutare non liceat, præter illud olympiacum e litteris argivis desumptum, quas aut forte incisas diximus, aut rhodias esse posse, aut, si argivæ sunt atque ab argivo fabro incussae, uni tantum valere laminæ monstravimus, minime toti ectyporum generi. Quæ igitur de exemplis æneis scripserint tres quos rettulimus docti, omnino accipere non possumus, nec credere, quum non ulla certa contrà opponatur ratio, originem unam laminis tribuendam, eamdemque, ut volunt, esse « argivo-corinthiacam. »

Restat ut quid de ectypis sentiamus, brevi exponamus. Quod ut efficere liceat, quibus ornamentis decorentur, quæ argumenta fabularum, quæ ars fabri, rursus exquiramus.

(1) *Jahrbuch*, 1890, p. 237-268.
(2) Sarcophagum confer Clazomenium, *B. C. H.*, 1895, p. 71, fig. 1.

CAPUT QUARTUM.

DE ORNAMENTIS QUIBUS DECORATÆ ECTYPORUM MARGINES.

Ornamenta singula repetenda quibus ectyporum partes inter se divisæ. Quæ quum, qualia sint origine, exquisiverimus, non nihil profecerimus in laminarum arte indaganda.

Spirarum sunt, ut suprà vidimus, duo genera, α, α', simplex unum, alterum quod priore gignitur.

Spiræ simpliciores, neque inter se junctae, α', videntur ab ægyptiaca arte ortæ, quum sub regibus duodecimæ stirpis (2778-2565 a. Chr. n.), sequentisque (2565-2098), sint in ægyptiacis monumentis, maxime in scarabeis, frequentissimæ. Mycenæa quæ vocatur ars spiras inde imitata, lapisque cretensis, nuper Phæsti repertus, tali spira decoratus, quem ferunt circa 2500 annos a Ch. n. excisum (1). Non aliter pyxis Melia (2), nonnullaque vasa mycenæa spiris ornata. Exempla contra, quæ dicuntur geometrica, ornatu penitus orba qui vix apparet in recentioribus (3). At vasa quæ in insulis aut in Asia confecta aut quæ, in Græcia picta, arcta quadam necessitudine cum mycenæis conjuncta, sunt spiris referta. Ne plura memorem exempla, melia (4) multa referam vasa, multa « proto-attica (5) », nonnulla « proto-bœotica (6) », « atque proto-corinthiaca (7) », imo quædam corinthiaca (8), at rara prorsus atque ex exemplis externis excerpta. — Sequitur omnino vetus esse ornamentum, nec credam, quum in ectypis semel appareat, insulanumne sit,

(1) *J. of Hellen. Stud.*, 1894, p. 324-331 (fig. 50, p. 328) [Evans].

(2) Perrot, *Hist. de l'Art*, VI, p. 910, fig. 461.

(3) *Jahrbuch*, 1887, p. 40.

(4) *Jahrbuch*, 1887, tab. 12 (cf. p. 11-2). Ἐφημερίς Ἀρχαιολογική, 1894, pl. 12.

(5) *Jahrbuch*, 1887, tab. 4-5, p. 40.

(6) *Anzeiger*, 1891, p. 116, 9.

(7) *Jahrbuch*, 1888, p. 247.

(8) *Antike Denkmæler*, I, tab. 7, 20 (Furtwængler, *Beschr. d. Vasens.*, I, 489, p. 61).

an græcum proprio sensu posse certò definiri. Si verò spira certæ tribuenda regioni, ex his apparet in Attica præsertim atque in Bœotia in usu fuisse.

Continua spira α), frequentior in laminis, quæ, ut planum est, a priore orta. Nuper fuit in exemplo quodam Chaldaïco reperta, quod volunt circa 4000 annos a Ch. n. excisum fuisse (1). Etiamsi ætas certa magis esset, non video quo vinculo monumenta cum græcis connexa, quæ, quum recentiora, certiora tamen sunt exempla. Mycenæa nonnulla reperiam vasa eo modo decorata (2), annulumque aureum in amyclœo sepulcro inventum (3). Exempla posthac cypriaca, quum fictilia vasa (4), tum æneæ quædam pateræ (5) aut argenteum diadema (6). Rhodi deinde frequentior ornatus, sive in « œnochois (7) », sive in poculis, pede plerumque orbis (8). Theræum inde eximium referam exemplum (9), atque ita multa ionica ut vix unum sit repetere necesse. Si ad Græciam continentem accedemus, vas « proto-atticum » memorandum (10), duoque sive tria « proto-corinthiaca (11) ». Corinthiaca si conferemus exempla quæ quatuor attulit E. Pottier (12), « proto-corinthiaca » tria recusare licebit (13), necnon tria rursus quia spiræ sunt dissimiles (14). Etiamsi essent prorsus corinthiaca, quo modo contra tot ionica insulanaque exempla prævalere possent? Neque, mea quidem sententia, injuriâ spiras suprà diximus minime esse corinthia-

(1) *Monuments et Mémoires Piot*, I, tab. 2 (Heuzey). De ætate, cf. p. 16.

(2) *Olympia*, t. IV, *Die Bronzen*, p. 109. Dumont-Chaplain, I, tab. IV, 16. 34 (*B. C. H.*, 1895, p. 226-7, n. 7).

(3) Ἐφημερίς Ἀρχαιολογική, 1889, tab. 7, 8, p. 151 (Tsountas).

(4) Perrot, *Hist. de l'Art*, III, p. 710, fig. 522. Cesnola, *Cyprus*, 394.

(5) *Jahrbuch*, 1887, p. 89-90. *Bronzes du Polytechneion*, 66, p. 19-20.

(6) *Jahrbuch*, 1887, tab. 8.

(7) *Jahrbuch*, 1886, p. 138, 2973. *Anzeiger*, 1892, p. 170, 174. Longpérier, *Musée Napoléon*, tab. LVIII. *Monumenti*, IX, tab. V, 2 (*Annali*, 1869, p. 172-5).

(8) Longpérier, *Musée Napoléon*, tab. V, 1 (Rayet-Collignon, p. 47, fig. 27). Salzmann, *Camiros*, tab. 53 (*Rheinisches Museum*, 1888, p. 481-6).

(9) Rayet-Collignon, p. 53, fig. 29.

(10) *Jahrbuch*, 1887, tab. 3.

(11) *Jahrbuch*, 1888, p. 247.

(12) *B. C. H.*, 1895, p. 226-7, n. 7. Nec video cur vas (*ibid.*, sub tab. XIX-XX) non sit bœoticum, quum litteris sit ornatum bœoticis.

(13) V., suprà, *Jahrbuch*, 1888, p. 247. *Arch. Zeit.*, 1883, tab. 10. *J. of Hellen. Stud.*, 1891, tab. 5.

(14) *Arch. Zeitung*, 1883, tab. 10. *Annali*, 1862, tab. A. *J. of Hellen. Stud.*, 1889, tab. 5, p. 253 = 1890, tab. 1-2, p. 167-180.

cas, quum ionicæ mihi semper visæ, semperque, credo, visuræ.

Grana punctaque β), γ), difficilius distingues, quum una majora, altera paulò sint minora. Neque de ornamento prorsus geometrico longius disserendum. Vasa memoravi ænea quæ, in Italia magnaque in parte Europæ, Celtarum majores, ut quidam sentiunt, confecerunt (1). Si ad græca vasa eademque fictilia transeamus, rhodiis in quibusdam amphoris, quæ effingitur tabula, zonis clauditur ita decoratis (2) non secus ac Clazomeniis in sarcophagis (3) atque in arte quæ dicitur « proto-corinthiaca (4) ». Corinthii vero fabri talem, ut videtur, spreverunt ornatum, quem ab illis ergo minime mutuari potuerant, qui nostras æneas inciderunt laminas.

Scalæ gradus δ) ornamentum quoque in primis geometricum, quod jam noverant qui aureas laminas, Athenis, in Dipyli cœmeterio, repertas (5), excuderunt. Gradus inde, in « proto-corinthiaca (6) » arte valde usitati, quum rariores sint in corinthiaca. Notum est insuper quam sæpe assueverint fabri, qui « proto-corinthiaca » vasa confecerint, ornamenta miscere, quum spiras cum punctis (7), tum, cum spiris, scalæ gradus (8). Non aliter in ectypis gradus, in zona punctis decorata, inter puncta dextrà punctaque sinistrà interpositi. Vix aliud desideres de ectyporum origine significantius exemplum.

Aliud de mæandris quorum forma in laminis simplicior, ε). Non quærere locus quæ sit mæandri origo, syriacane (9) an geometrica, — hoc multò magis refert, quæ partes, seu Asiæ, seu Græciæ, mæandri forma utantur, quæ in ectypis expressa. Seriem hic non repetam quam alio in loco descripsi (10), quam vero si vel paulisper inspexeris, agnoveris ornatum esse, si non ab oriente ortum, in Asia quidem atque in insulis in primis usi-

(1) *B. C. H.*, 1895, p. 219, 4.

(2) *Jahrbuch*, 1886, p. 140, 2944. *Anzeiger*, 1892, p. 170, 175.

(3) *Antike Denkmæler*, I, tab. 45; tab. 46, 1 et 3. *B. C. H.*, 1892, fig. 2, p. 244.

(4) *Notizie degli Scavi*, 1895, p. 164, fig. 53 (Fusco), etc.

(5) Daremberg et Saglio, *Cælatura*, fig. 933, p. 788. *Athen. Mittheil.*, 1893, p. 109-111, fig. 7; p. 126, fig. 24. Cf. laminam Eleusine repertam, Ἐφημερίς Ἀρχαιολογική, tab. 9, 1.

(6) *Notizie degli Scavi*, 1895, p. 153, fig. 38 (Fusco).

(7) *Monumenti Antichi*, I, p. 852, sep. 119.

(8) *Monumenti Antichi*, I, p. 799, sep. 4; IV, p. 277, fig. 133-4.

(9) *Jahrbuch*, I, p. 89-90.

(10) *B. C. H.*, 1895, p. 219, n. 7.

tatum. At multa licet allatis exemplis addere, quorum pauca non est quin brevi referam.

Duo quum memoraverim vasa, quæ generis sunt « Dipylon » vocati, unum libenter abstulerim quod potius « proto-corinthiacum. » — « Proto-corinthiacis » vero duo addam exempla, quorum fictile unum, eburneum alterum, Syracusis utrumque repertum (1). — At rhodiis exemplis plura multò addam, quum amphoram (2), tum « œnochoas (3), » duoque (4) vel tria (5) pocula, nec non crus pictum (6) atque œnochoas duo poculumque quæ vidi in musæo berolinensi. — Vasa itidem plura ionica adnumeranda, præsertim naucratica (7), æneaque ectypa Perugiæ reperta (8), imo sculpturæ illæ delphicæ (9) quo thesaurus ornatus qui dicitur sicyonius, quæ minime peloponnesiacam spirant artem, prorsus vero ionicam.

Contrà non ullum reperiam corinthiacum exemplar, tali mæandro signatum. Sequitur, ectypa ne cuncta dicam, duas saltem bœoticas laminas non ullo vinculo cum corinthiaca arte conjunctas.

Restat sextum illud ornamentum, ζ), ova scilicet lineis quadratis circumducta. Quod rursus est plane geometricum, quod vas decorare velit, in partes æquas ac plerumque quadratas dividente vasculario, quæ simul ac delineatæ, quum non nudae esse possint, sive grandi puncto, sive ovo mox ornatæ. — Nonnulla reperiam asiatica monumenta quorum margines ita decoratæ. Poculum enim referam Myrinæ repertum (10), clazomeniosque sarcophagos (11), rhodiumque, haud ita dissimile, aureum ectypum. — At longe plura sunt « proto-corinthiaca » vasa, quæ ita nota sunt ut exemplum repetere minime sit necesse. Nec

(1) *Notizie degli Scavi*, 1895, p. 157, fig. 44; p. 173, fig. 69.

(2) Salzmann, *Camiros*, tab. 45.

(3) *Jahrbuch*, 1886, p. 139, 2939. — *J. of Hellen. Stud.*, 1885. p. 186, fig. 3.

(4) Longpérier, *Musée Napoléon*, tab. LIV, A, B.

(5) Salzmann, *Camiros*, tab. 50. Dextra enim pænultimus mæander ita delineatus (aliter in Longpérier, *Musée Napoléon*, tab. 5, 2).

(6) Furtwængler, *Beschr. d. Vasens.*, 1307, p. 151.

(7) *Naucratis*, I, tab. V, 15-6 (cf. II, p. 54), 31; tab. VII, 1, 2, 3, 5, 6; tab. XIII, 2. Addendum fragmentum in musæo Berolinensi, n. 3150. — Cf. cyrenæa exempla, *Arch. Zeitung*, 1881, tab. 10, 1-2, p. 223.

(8) *Rœmische Mittheilungen*, 1895, p. 314, fig. 21 (Millingen, *Anc. uned. mon.*, II, 14, M, XLV, 1).

(9) Vestem fert Dioscurorum alter ita decoratam.

(10) Pottier-Reinach, *Myrina*, I, p. 233, fig. 36.

(11) *Monumenti Antichi*, XI, tab. 54. *B. C. H.*, 1895, p. 71, fig. 1.

nego quædam esse corinthiaca vasa, forma grandiora, quæ tali aut persimili (1) ornatu decorata. At etiamtum minime partes agit, quas, sive in clazomeniis sarcophagis, sive in rhodio ectypo, quum in utroque monumento tabulam quasi definiat quæ a fabro expressa, in vasis vero corinthiacis tantummodo vacuam partem expleat, hicque, ornatus sit, illic, vere limes, sicut in ectypis.

Si quæ suprà disseruimus repetimus, spiras ostendimus mæandrumque minime corinthiaca esse, puncta et scalæ gradus asiatica aut insulana esse posse, ova denique, quæ Corinthio pictori usui fuerint, aliter in corinthiacis vasis quam in ectypis tractata fuisse. Necesse igitur ad Asiam, aut ad insulas, id est ad Ioniam artem, nostros vertamus oculos.

(1) *B. C. H.*, 1895, p. 190, 393-6, etc.

CAPUT QUINTUM.

DE ARGUMENTIS QUÆ IN ECTYPIS EXPRESSA.

Ut ordine progrediamur, necesse fit ut materiem in partes quinque dividamus : quæ animalia in ectypis reddantur, quæ monstra effingantur, quæ diversæ scenæ seu dimicantium pugnæ ante oculos ponantur, quæ denique fabulæ agantur heroïcæ, brevi quæramus.

A. — De animalibus.

1. — Scorpius tribus in ectypis sine ulla dubitatione redditur (94-6). Quod animal, quum, fascini causâ, sæpius in vasis exprimitur, corinthiacis in picturis haud ita frequenter apparet, sæpius contra in atticis (1). Hoc vero imprimis notandum, vas quoddam fictile, Athenis in Acropoli repertum, atque fictilibus, iisdemque æneorum similibus, ectypis ornatum, scorpio decoratum esse scorpiorum nostrorum simillimo. Laminæ autem 94-6 in Acropoli itidem inventæ sunt : cur, si tot exempla conferuntur attica, externas credam esse laminas, nec potius, ut patet, atticas ? Scorpium fateor in corinthiacis vasis interdum exprimi : corinthiacis vero in ectypis nunquam apparet. Nonne probabilius ergo laminas non esse corinthiacas ?

2. — Difficilius est agnoscere quod monstrum in ectypo 7 bis fingatur prope equorum capita positum. Si formam tantum animadvertes, aut piscem volantem, aut avem quemdam credas exprimi. Sed vetera non desunt monumenta, in quibus, ornamenti, sive fascini causâ, si quid restet vacui, diversissimis animalibus repletur, nullo ordine positis, non modo invita na-

(1) Vide quæ notavi *Catalogue des Bronzes de l'Acropole*, 373, p. 120.

tura, sed invita ipsa verisimilitudine. Ne pluribus utar exemplis, cratera memorabo ubi Amphiaraüs proficiscens apparet, qui, præter currum vatis, angui, hystrice, salamandra juxta positis, refercitur (1). Simili autem in pictura, salamandra quædam redditur, quæ non modo formæ est ejusdem quam monstrum illud in ectypo expressum, sed, haud aliter, prope equorum capita volare potius quam stare videtur (2). Quæ amphora quidem est corinthiaca, sed ectypum recentius atque vasorum atticorum haud dissimile figuris nigris ornatorum iisdemque jam liberum in modum expressis. Nulla igitur necessitudine cogimur ut salamandram credamus corinthiacis a picturis arcessitam esse ; tempore enim quo ectypum expressum, jamjam corinthiaca vasa in oblivionem redacta erant. Addam lecythis in atticis, ætate, ut ita dicam, æqualibus, salamandram similiter pictam esse (3).

3. — In ectypo **21** (atque, ni fallor, in **22**), rursus aliud monstrum ante oculos ponitur (4). Si figuræ crediderimus in *Anzeiger* editæ, nil illius tam simile reperiam quam animal in pictura quadam vasculari expressum (5). Quod, licet ejus de natura docti certent, sæpiane (6) sit an polypus (7) in ambiguo stantes, tamen certò maritimum est mycenæorumque illorum animalium, vitam tam expresse spirantium (8), non est quin refricet memoriam. Consuetudinem prorsus veterem, si res ita se habet, non modo pictor vascularius, sed faber noster, secuti essent — Ionii sciunt autem quam studuissent ut mycenæa imitarentur exempla.

4. — Ut ad aves transeam, exempla primum omittam, in quibus avis apparet volitans, sive prope Gorgonem (**20**, B), sive prope bigarum currum (**46-7**). Non enim sui causa, si ita dicere possum, fingitur, sed propterea tantum ut tabulæ partem quamdam vacuam repleat. At, si de tali ornamento longius disserere fit inutile, hoc tamen minime obliviscendum corinthiacis in vasis ornatum esse rarissimum, in ionicis, contra, ut vidi-

(1) *Monumenti*, X, tab. IV-V.
(2) Dumont-Chaplain, p. 236-7, 9 = *Athen. Miltheil.*, 1879, IV, tab. XVIII.
(3) Non nego salamandram nomen esse minime certum.
(4) Ex litteris quas accepi ab eo qui præest musæo berolinensi, sperandum ectypa mox plenius ac melius editum iri.
(5) *Elite Céramographique*, I, pl. XXVII = Millingen, pl. XXV.
(6) *Elite Céramographique*, I, tab. XXVII, *texte*.
(7) S. Reinach (Millingen), p. 105.
(8) Pottier, *Catalogue des Vases antiques*, I, p. 189-191.

mus, frequentissimum. Sequitur, si quid ex superioribus concludi potest, ut ectypa corinthiaca difficilius esse possent.

5. — Grandior multò atque propterea significantior cycnus erit, qui bœoticis in exemplaribus sæpius redditur (40, 50-6). Sciunt autem, nec infitias eam, cycnum nonnunquam pingi a pictore corinthiaco (1) : quo probato, consequens esset cycnum æneum quoque esse corinthiacum. — At, si vascularia respicis exempla, quod facillimum, quum in unoquoque musæo frequentissima sint, non animadvertere non potes avis formam esse longe dissillimem, plenius longe ac melius expressam, nec recentiorem tantum, sed penitus diversam. Nostris contra in ectypis, rudis est cycni forma, quæ, primo adspectu, memoriam revocat monstrorum illorum ante ipsos homines exstantium, « plesiosaurum » scilicet, sive « ichthyosaurum ». Non desunt vero, ipsâ in arte græca, exempla similiora. Haud aliter enim ficta reperias, quæ, seu volitantia, seu natantia, monumentis in mycenæis, præsertim in eis quæ Cypri reperta sunt, tam frequenter apparent animalia. Propius vero, atque in arte minus remota, num memorare erit necesse aves illas maritimas quæ in fibulis æneis sive rhodiis (2), sive bœoticis (3) sæpius sunt incussæ? Nec nego tales fibulas diversis in locis repertas fuisse (4), sed nulla in regione tam numerosæ sunt, quam in Bœotia. Si memoras ectypa nostra in Bœotia itidem esse reperta, nonne credere in promptu est, fibulas simul ac ectypa, bœoticâ seu chalcidicâ esse origine? Quod, etiam si falsum reperitur, restat ectypa non ullo modo corinthiaca esse posse, sed cum mycenaeis bœoticisque exemplis arcte connexa esse. Exemplum potius essent, ex quo corinthiaci fabri cycnum mutuati essent. Nullo modo « peloponnesiacam » spirant artem.

6. — Gallus est cycno in ectypis frequentior. Duobus in speculis (2 B, 4 A) apparet, sive solus (2 B), sive, quod quidem minus est certum, gallo alteri oppositus (5) (4 A) — duobusque in laminis bœoticis (38, 40) juxtà cycnum atque aves cum grypis capite ambulans fictus est.

(1) *B. C. H.*, 1892, p. 364.

(2) *Jahrbuch*, 1891, p. 269.

(3) *Catalogue des Bronzes du Polytechneion*, p. 56. Cf. *B. C. H.*, 1895, p. 211, 797.

(4) *Bronzes du Polytechneion*, p. 56.

(5) Galli alterius vix discernas formam, ideo gallum unum in catalogo suprà descripsi.

Notum est autem, nec, post tot viros doctos (1), iterum monstrare necesse, gallum esse ab Oriente in Græciam adductum. Quando græcus factus sit, difficilius est scire quærenti; vetera monumenta vero reperias satis multa, in quibus gallus sit expressus, quorum non ullum cognovi antiquius quam œnochoen quamdam phalericam (2), septimo forte a. C. sæculo incipiente confectam. — At hoc scire pluris refert quæ ars gallos sæpius finxerit, nam, si rarus est gallus in genere quodam monumentorum, genus illud sequitur ectyporum esse dissimile.

Corinthiacis autem in vasis gallos nonnullos invenias (3), sed ut brevi præcidam, multò numerosiora, præ gallis, cetera reperias animalia. Chalcidicis contra in vasis (4), licet rara sint, gallos multos numerare possis, nec desunt clazomeniis in sarcophagis (5), atque in cyrenæis (6) ionicisque (7) picturis. — Idem igitur iterum concludemus quod jam concludimus, gallos scilicet, quum rari sint in arte corinthiaca, frequentes vero in ionica, origine esse minime corinthiaca. Notanda in primis chalcidica illa atque clazomenia exempla, quæ multis aliis vinculis cum ectypis nexa esse infrà videbimus.

7. — Inter quadrupedes, unus leo, si equos excipis, in ectypis effingitur, sed, ut patet ex ipso numero laminarum in quibus expressus est, animal videtur quod prorsus soliti erant, ne videre dicam, sed saltem reddere fabri (4 C, 20 C, 35, 87-96). — Quæ exempla, uno tantum excepto speculo, in Attica sunt aut in Bœotia reperta, hoc modo inter se similia quod nunquam leo solus redditur, sed leones duo semper exprimuntur capite retrorsum verso atque inter se sedentes.

At, si, summam facienti, leones similem in modum positi sunt, non desunt signa quibus dissimiles interdum esse monstrantur. Exempli causa, non eodem modo sedent : sive crura anteriora sunt humi posita (35, 87-96), sive in flore qui surgit a terra (4 C, 20 C). Nec crura sunt illa semper inter se juncta (87-9), sed sæpius divisa, uno sublato atque juxta crus alterius

(1) Hehn, *Kulturpflanzen und Hausthiere*, 3ᵉ éd., p. 280.
(2) *Jahrbuch*, 1887, p. 43, 4ᶠ, fig. 3; p. 48-9, 4ᵏ, fig. 8.
(3) *Collection Sabouroff*, tab. XLVIII, 1. — Dumont-Chaplain, p. 182. — *B. C. H.*, 1895, p. 200, etc.
(4) *Monumenti*, I, 1833, tab. LI, etc.
(5) *Antike Denkmæler*, I, tab. 46, 3.
(6) Dumont-Chaplain, p. 299, 14, etc.
(7) Dumont-Chaplain, p. 256, 21; 258, 24; 325, 2; 327, 5, etc.

leonis posito, altero humi, aut, in ectypis **4 C**, **20 C**, in flore posito. Denique hominem nudum memorabo duobus in laminis (**92-3**) inter leones ita currentem ut pedibus ungues tangat leonum, manibusque gladium educat.

Signa sunt illa exteriora quæ non artem denuntiant diversam, sed ordinem, si ita dicere possum, dissimilem. Ut ad interiora transeam, non semper leones uno modo exprimuntur. Qui, ut verum profitear, sæpius sunt inter se similes, gracili grandique corpore, atque ore hiante, nulla pendente lingua, nec dentibus ullis expressis. Duo vero excipiam ectypa, in quibus diversa est forma monstri. In uno, **20 C**, corpus est crassius ac pinguius, ore præsertim aliter confecto, horrente super vultum crine, dentibusque ferinis expressis. In altero, **87**, crines non sunt ordine dispositi, sed, ut in assyriis monumentis, horridi videntur ac spiculorum aut spinarum similiores (figuram fateor non bene ad fidem expressam, sed, si quis ipsum inspexerit monumentum, rem non animadvertere non poterit).

Ita collatis ectypis, cur leones ita redduntur? Cur præsertim ita inter se collocantur? — Ut plerique senserunt (1), ionicum in modum positi sunt atque pluribus in vasis chalcidicis leones invenias ita inter se sedentes (2). Quibus picturis, atticas addere licet, non minus ionicas (3). At « alabastron » prætexunt corinthiacum in quo leones eodem modo positi sunt (4). Quod vas, si attentius inspicies, videbis artis esse valde singularis, quæ rhodiæ clazomeniæque artis memoriam potius revocat quam corinthiacæ (5). Cur ergo corinthiacum esse credam exemplum : etiam si corinthiacum esset, quum unicum sit, nonne pictor corinthiacus, quod veri similius, ionica imitari potuisset exempla? Quod adeò verum est ut corinthiaci minime datum consilium recepissent : leones igitur, si ita sunt positi, minime sunt corinthiaci.

Quod facilius intelleges, si memineris quibus in monumentis leones primum appareant retrorsum verso capite. Mycenæa

(1) Baumeister, p. 1968. — *B. C. H.*, 1892, p. 367, 2. — *Annali*, 1880, p. 135.

(2) *Annali*, 1880, p. 135 (Furtwængler).

(3) Furtwængler, *Beschreibung d. Vasensammlung*, I, p. 268-9, 1722; p. 291-2, 1763.

(4) *B. C. H.*, 1895, p. 76, fig. 4.

(5) *B. C. H.*, *ibidem*.

reperies exempla (1), rhodia nonnulla (2), melia (3), imo « attico-corinthiaca » (4), quod genus rectius vocari potest « attico-ionicum. » — Nec aliis in monumentis primum par invenies leonum inter se sive stantium, sive progredientium. Quos videas in « proto-atticis » vasis (5), in « bœoticis » (6), cyrenæis (7), etruscis (8), rursusque in « attico-corinthiacis » (9). Quæ sunt exempla, sive ionica, sive iisdem in regionibus orta in quibus ectypa sunt inventa. — Num difficilius admittes postea, quum duo fontes ionici sunt e quibus leones hauserunt fabri, eosdem arti ionicæ jure attribui posse, quod verum esse probant chalcidica, quæ rettuli, exempla.

Si modum nunc animo fingere voles, quo leones adumbrati fuerunt, hoc recordaberis, monstrorum duo peculiaribus quibusdam signis in primis insignia esse. — Unum, **87**, assyria, ni fallor, revocat exempla. Alterum, **20 C**, quum immani corpore, tum horrente crine atque dentibus cruentis, propior esse Græciæ videtur. Leonis capita, quæ in vasis atticis, sive « geometricis (10), » sive « phalericis (11), » expressa sunt, non aliter hiant, crine tantum non ita horrido, quæ vasa constat ab oriente non leones tantum, sed artem pæne totam hausisse. Similior vero leo, quem Artemis, vulgo Persica vocata, cauda trahit, juxtà progredientem retrorsumque verso capite : vas autem dicunt Theræ repertum esse, ita vero pictum est ut melia referat exempla, meliumque prorsus esse videatur (12). — Rursus fuimus eodem ratiocinando adducti, ectypa quum deteximus ionicorum vasorum esse simillima (13), nec cogimur ut leones ceteros conferamus, qui, more solito, iidem apparent in ectypis, qui in vasis ætate paribus, sive ionicis, sive atticis, corinthiacisque : tunc

(1) Ἐφημερίς Ἀρχαιολογική, 1888, tab. 10, 11 (p. 176), tab. 10, 17 (p. 176-7), tab. 10, 26 (p. 177); *ibid.*, 1889, tab. 10, 3, p. 165.

(2) *J. of Hellenic Studies*, 1885, p. 186, fig. 3.

(3) *Archæologische Zeitung*, 1854, XII, tab. LXI, p. 177 (Gerhard).

(4) *Athenische Mittheilungen*, 1890, tab. XI, p. 327; tab. XII, 1, p. 327-8.

(5) *Jahrbuch*, 1887, tab. 3, 35-6; p. 52-3, 9, fig. 14 (= Collignon, *Catalogue*, 13).

(6) Ἐφημερίς Ἀρχαιολογική, 1892, tab. 9 (tab. 10, 1).

(7) *Archæologische Zeitung*, 1881, tab. 13, 5 (17), tab. 10, 1 (20), tab. 11, 2 (21). Dumont-Chaplain, p. 302-3, 25.

(8) Dumont-Chaplain, 269, 2.

(9) *Athenische Mittheilungen*, 1890, tab. XI, XII, 1.

(10) *Athenische Mittheilungen*, 1892, p. 226, fig. 10.

(11) *Jahrbuch*, 1887, tab. 3.

(12) *Archæologische Zeitung*, XII, 1854, tab. LXI, p. 177.

(13) Flos ipse inter leones positus Rhodiæ esse formæ videtur.

ornamentum valde notum est et pæne in unaquaque regione eodem modo notum. Magis refert vidisse, quod constat e nostris duobus ectypis, unde fabri ornatum accepissent.

Ut eorum quæ dixi summam faciam, pauca animalia reperias in ectypis expressa, nec, quod significantius apparet, ea quæ « geometricis » in vasis solita sunt effingi, ea vero quæ vasis in ionicis tam frequenter reperias. Præter cycnum, quum avis volitans, tum gallus leonesque oppositi, ornamenta sunt valde ionica. Scorpius ipse in vasis atticis frequentissimus adest, nec cycnus idem est in ectypis quam in corinthiacis exemplis. — Hoc ergo retineamus, quod attinet ad animalia, ectypa artis esse prorsus ionicæ.

B. — De monstris.

8. — Gryps incedit in ectypo quodam, quod Orchomeni effodere mihi contigit (**57**), — quod monstrum verum est in vasis chalcidicis nondum apparuisse (1), sed, corinthiacis in exemplis rarum prorsus est (2) atque etiam tum eò nostri grypis dissimile, quod nunquam incedit, sed semper humi sedet, crure uno interdum sublato. Quod attinet vero ad æra chalcidica, nescio an jure dixerint grypem in illis nunquam exprimi, — nam, ut de nostro ectypo taceam, æquo jure dicere possum chalcidicum esse ectypum in musæo Karlsruhe servatum (3) aut olympiacum exemplar (4), quam qui non chalcidicum esse prætendunt. Nec de chalcidicis vasis obliviscendum ea tantum dici posse chalcidica, quæ litteris chalcidicis ornata sunt, qua norma minime utuntur qui de corinthiacis vasis aut atticis monumentis tam diserte loquuntur.

Chalcidicam vero si linquimus artem, multa reperias exempla in quibus gryps incedens fingitur. Quæ cuncta sunt in Etruria reperta, phœniceæ artis exempla, sive potius cypriacæ, certò saltem ionicæ (5). Quibus addere poteris vasa nonnulla io-

(1) *B. C. H.*, 1892, p. 366.

(2) Roscher, *Lexikon*, p. 1759. *B. C. H.*, 1895, p. 195, 452.

(3) Schumacher, *Bronzen v. Karlsruhe*, tab. VI, 1, 268, p. 47-8.

(4) *Olympia*, t. IV, *Die Bronzen*, tab. XXXVIII, 696, p. 100-1.

(5) In ovis Vulci repertis, Micali, *Monumenti inediti*, tab. VII (= Perrot, III, fig. 625, 628); — in tripode, Micali, *ibid.*, tab. VIII, 6; — in arca Palestrinæ effossa, *Monumenti*, VIII, tab. XXVI, 1; — in ectypo chiusino,

nica (1), testimonium inde de natura atque origine sponte præbentia. — Insuper, quum gryps in ectypo juxta grypem alterum male servatum olim positus erat, grypes duos, inter se oppositos, in monumentis ægyptiacis (2) assyriisque (3) facilius itidem detegas, ipsâque in amphora quæ *François* vocatur, attico-ionicaque jure diceretur (4). — Quid, contra tot tantaque testimonia, pauca valeant corinthiaca vasa, in quibus gryps ceterum dissimilis est? Num credere possis grypem nostrum esse corinthiacum qui incedit in ectypo, nunquam vero Corinthi incedit?

Si grypis formam respicias, eum dissimilem reperias, quum corinthiacorum γρυπαιέτων, in musæo berolinensi servatorum, tum bœoticorum Ptoïi repertorum. Ut ipse notavi (5), gulâ aperta, mandibulaque inferiore, carunculæ instar gallinaceæ, pendente, magis affinis videtur sive olympiaco ectypo (6), sive chiusino (7), quod fictile quidem est, sed æneum certo imitatur exemplum. — Ita, sive ambulatione, sive ipsa forma ac natura, ionica revocat exempla, quum contra corinthiacorum exemplorum est valde dissimilis.

9. — Sequitur monstrum, quod, deficientibus verbis, magis ad rem accommodatis, grypem vocavi maritimum. Nec negabo persimile exemplum nusquam reperiri, sed notum est quot monstra, imo in mare viventia, Græci finxerint, qui, uno in monumento Dorogoï reperto, Nereidas diversis in animalibus equitantes expresserint (8). In tabula corinthiaca, equus tantum redditur, sed singulari quodam capite præditus, nec a grype multo abhorrente (9). Igitur pronum ad fidem est grypem quemdam maritimum Græcis notum esse.

At enim, dicet aliquis, tabulam conferens corinthiacam, si non grypem, attamen puerum equitantem corinthiacum esse. Quod verum forsitan esset, si Ario tantum notus esset — sed permultos reperias quos fama fert in dorso monstrorum maritimorum

Jahrbuch, 1890, p. 152, fig. 4; — in situla chiusina, *Monumenti*, X, tab. XXXVIII, 2, 1.

(1) *Rœmische Mittheilungen*, 1887, p. 176.

(2) Dumont-Chaplain, p. 136.

(3) Layard, *The Monuments of Niniveh*, tab. V.

(4) *Wiener Vorlegeblætter*, 1888, tab. III.

(5) *B. C. H.*, 1895, p. 222, 1.

(6) *Olympia*, t. IV, *Die Bronzen*, tab. XXXVIII, 696.

(7) *Jahrbuch*, 1890, p. 152, fig. 4.

(8) *Antiquités du Bosphore Cimmérien*, tab. XLII, p. 92-3 (S. Reinach).

(9) *Antike Denkmæler*, I, tab. VII, 26 (= Furtwængler, *Beschreibung*, 780).

vectos fuisse. Num Nereum memorare necesse, Palæmonem, Melicertem, Phalanthum, Taranta? Sigillum imo conferre potes in Acropoli repertum (1) : similis videtur juvenis, licet sit paulo recentior. Ideo libenter credam ectypum, eodem in loco inventum, atticum quoque fuisse. Etiam si non atticum est, non est cur, quum tales homines equitantes tam multi memorantur, corinthiacum esse nostrum retineam.

10. — Γρυπαίετος duobus in ectypis exprimitur (21, 38), inter se minime similibus. In uno, Ptoïi reperto, quum appendice quadam rotunda summa in fronte defixa, tum spira de capite pendente, differt monstrum a grype 57. In altero (21), similior est quidem, nisi quod gula non est eodem modo aperta. Sequitur ut non ulla necessitudine adducti simus ut ectypa duo 21, 37, eodem in loca confecta esse credamus, imo ut gryps 57 atque duo γρυπαίετοι tribus in regionibus, ne dicam confecti sint, certo tamen elaborari potuissent.

Vidimus autem cyrenæa esse quædam exempla in quibus γρυπαίετος expressus sit, nec, ut vulgo creditum, monstrum esse necessariò corinthiacum. Cur, quum vasa illa ionica adhuc tam male nota sunt quumque compertum est ectypa nostra cum illis arcte conjungi, admittere recuses γρυπαίετον ionicis ab exemplis, potius quam a corinthiacis descriptum fuisse. Rem fateor non certam esse, sed, quum ionica exempla sint corinthiacis antiquiora, multo veri similiorem esse non est quin confidam. Corinthiaca lamina, quæ ab aliis diversa est, forsitan esset Corinthi confecta : etiam tum, non sequeretur ceteras quoque esse ibidem confectas — at, ut vidimus, pro certo non est laminam esse corinthiacam.

11. — Siren barbata, sive avis humana virilique capite prædita, duabus itidem in laminis sine ulla dubitatione ficta fuit. Quibus forte addere poteris ectypum 23, sed sphinxne in illa reddatur, an siren, quum minime certum sit, veri similius credidi sphingem exprimi. — Una in lamina, siren incedit, in altera, atque in simili exemplo Ptoïi invento (2), sireni opponitur alteri.

Originem si quæres ex qua manavit ornatus, Orientem adhuc invenies, imo, ni fallor, imus Oriens. Exempla enim reperias nonnulla sive babylonica, sive assyria (3), quibus

(1) *Catalogue des Bronzes de l'Acropole*, 755.
(2) *B. C. H.*, 1892, p. 368.
(3) Dumont-Chaplain, p. 175.

exhaustis, jam ad Græciam pervenies, protomas illas referens æneas, quæ, diversissimis in locis effossæ, Delphis, Olympiæ, Athenis in Acropoli, Ptoïi, pæne in omni templo repertæ sunt (1). Ubi monstra expressa sint, adhuc incertum, neque, sine quadam hesitatione, aut rhodias esse dixi aut cypriacas (2). Hoc vero in primis certum, asiana esse monumenta atque prorsus ionica. — « Lecythum » addas « proto-corinthiacam (3), » quæ primo adspectu unde orta sit ostendit (sciunt enim, atque post multos ipse memoravi (4), nomen « proto-corinthiacum » jure minime inventum fuisse, neque illa vasa cum corinthiacis connexa unquam fuisse).

Vasa equidem poteris conferre corinthiaca (5), in quibus siren barbata similem in modum picta est, sed multo plura reperies ionica exempla, quum vasa in Etruria inventa, atque *a bucchero* vocata (6) (quæque semper ionicam aut ionicæ simillimam spirant artem, tum tripoda tanagræum (7), quem falso contendunt corinthiaca vasa imitari (8), quum contra atticus est, nec corinthiacis, sed ionicis picturis natura affinis. Neque ipsa desunt attica vasa, nova atque in primis probantia testimonia (9). — Genus ita monstratur esse ionicum : ionica ergo ipsa sunt ectypa.

Peculiaris vero est siren Eleutheris reperta (**84**), cujus barba non, ut solet, brevis amplaque, sed longa est formâque curva, nec ab imo vultu, sed solo a mento, ut nostra *barbiche*, pendere videtur. — Rara est quidem, ut facilius credas, illa barbæ species, sed jamjam erat in Græcia nota. Sigilla quædam fictilia Cypri reperta (10) eumdem in modum *barbata* exprimuntur. Similior vero ille, qui in pictura quadam Myrinæ reperta prorsus-

(1) *B. C. H*, 1888, 380-395. *Catalogue des Bronzes de l'Acropole*, 764-6.

(2) *Catalogue des Bronzes de l'Acropole*, préface, p. VII-VIII.

(3) *Journal of Hellenic Studies*, 1890, p. 179, fig. 2.

(4) *B. C. H.*, 1895. p. 182, n. 1. — Si quod sentio dicere audeo, credo, ut nonnulli senserunt, vasa « proto-corinthiaca » esse chalcidica. Ita demum intelleges ea ionicis forma et arte adeo affinia esse, atque in insulis, in Bœotia Siciliaque, tam frequenter reperta esse.

(5) *B. C. H.*, 1892, p. 366, not. 2. — *Ibid.*, 1895, p. 194, 444-6.

(6) Furtwængler, *Beschreibung der Vasensammlung*, I, p. 190, 1609.

(7) *Archæologische Zeitung*, 1881, tab. 3, IV, p. 30.

(8) *B. C. H.*, 1892, p. 366, not. 4.

(9) *Elite Céramographique*, II, tab. XXV. *Monumenti*, IX, tab. 55. *Cat. of British Musæum*, B 215.

(10) Quæ mihi indicavit E. Pottier.

que vetere redditur (1) : quod picturæ genus paucis adhuc exemplis pervulgatum est, at, si talia nomina vacua minus essent, « proto-ionicum » jure vocaretur. — Inde clarum ac perspicuum quale exemplar faber sit noster imitatus : num quis posthac corinthiacum esse ectypum amplius prætendere poterit?

12. — Inter sphinges, viriles femineasque necesse est ut distinguas, quas duas monstri formas in ectypis invenias expressas.

13. — Sphinx in plerisque laminis femineo vultu prædita ostenditur, ut monstrum Græci solebant effingere. Sed diversis quibusdam modis expressa est. Si forte sedet, aut crura anteriora humi simpliciter reposita sunt (12 A, 48 B, 59-60), aut crurum unum tantum repositum est, altero sublato (20 A), aut crura anteriora incedere videntur, sedente tamen atque immoto manente monstro (37). Ceteris in ectypis, libere incedit, sive ad dextram, sive ad sinistram versa (49, 61-79). Cunctis vero in laminis, sphingi alteri aut eodem modo sedenti aut incedenti opponitur, ramo sæpius inter animalia posito.

Quæ discrevimus in ectypis, rursus in vasis aliisque in monumentis reperiemus, nec attoniti ullo modo erimus, si rursus ectypa detegemus ionicorum exemplorum esse simillima.

Sphinx sedens, cruribus anterioribus humi positis, sæpius in vasis redditur. Corinthiaca confiteor esse nonnulla exempla, in quibus paria sphingum expressa videas (2). — Sed cyrenæa plura reperias vasa (3), aut melias amphoras (4), aut clazomenios sarcophagos (5), aut « attico-corinthiaca » monumenta (6) (de quibus vide quæ supra notavimus), aut denique attica (7). Imo, illis in monumentis, quæ cuncta sunt ionica, sphinges duas reperias ita oppositas ut sunt in ectypis.

Si crurum unum sublatum est, ionica non est quin invenias

(1) Pottier-Reinach, *Myrina*, II, tab. LI, p. 499-504, p. 585.

(2) Rayet-Collignon, *Céramique*, p. 65, fig. 34. — *Monumenti*, VI, tab. XIV.

(3) *Archæologische Zeitung*, 1881, tab. 12, 4; 13, 6 (12); — tab., 11, 1; 12, 1 (18); — tab. 10, 2; 11, 3 (19).

(4) Ἐφημερίς Ἀρχαιολογική, 1894, tab. 12.

(5) *Antike Denkmæler*, I, tab. XLIV, XLVI, 2. — *Monumenti*, XI, tab. 53, 54. — *Revue des Etudes grecques*, 1895, tab. I. — *B. C. H.*, 1895, fig. 1, p. 71. — At crura sunt nonnunquam anteriora aliter posita.

(6) *Athenische Mittheilungen*, 1893, tab. II, p. 57-9; *ibid.*, 1890, tab. XII, A, p. 327; p. 325, fig. A.

(7) *Elite Céramographique*, III, tab. LXXVII, p. 194.

exempla in quibus duæ incedunt sphinges, interpositum florem quasi ascendentes (1). Sedent autem in clazomenia quadam pictura (2) atque in tanagræis ectypis, quæ artis sunt valde ionicæ (3).

Si, sedente monstro, crura incedunt anteriora, notum est quam sæpe in « tabulis » aut in œnochois pictores rhodii ita depinxerint, sive monstra, sive quæ reddiderunt animalia. Atque, ut aliud reperiam ionicum exemplum, picturam referam clazomeniam, in qua sphinx ectyporum prorsus est similis (4).

At multo magis res ita se habet, quum, ut in nostris laminis Orchomeni repertis, sphinx incedit libero certoque gressu. Nam *nunquam incedit* in vasis corinthiacis (5). Si in pictura quadam « proto-corinthiaca » progredi videtur (6), eo comprobatur, quod supra indicavimus, talia vasa corinthiacorum esse penitus dissimilia. Contra, mycenæis in exemplis (7), in assyriis aut cypriis poculis (8), in monumentis artis « etrusco-phœniceæ » (9), in meliis (10), rhodiis (11), ionicis (12), proto-atticis (13) vasis, incedit ut progreditur in laminis. — Nonne documentum est quum insigne, tum certissimum, ectypa nostra affinitate quadam cum Ionia conjungi?

Ita, si quæris quomodo monstrum posuerint fabri, eos more ionico sphingem rettulisse planum est. Nunc vero quærendum quæ sphingis sit forma ac statura, qualis ergo fuerit ærarii ars nostri.

Duo sunt sphingum genera, quæ facilius in ectypis discernas. Crassum est unum, pingui atque ineleganti corpore, vultu quasi

(1) Perrot, *Histoire de l'Art*, III, tab. 9, fig. 152; p. 789, fig. 552. — *Jahrbuch*, 1887, tab. 8, p. 89.

(2) *Monumenti*, XI, tab. 53 (1883).

(3) *Athenische Mittheilungen*, 1879, p. 55. *B. C. H.*, 1888, p. 496, 508.

(4) *Revue des Etudes grecques*, 1895, tab. I.

(5) *B. C. H.*, 1892, 361; 1895, p. 222, 2.

(6) *Archæologische Anzeiger*, 1891, p. 16, 2, fig.

(7) *Das Kuppelgrab v. Menidi*, p. 20.

(8) Layard, *The Monuments of Niniveh*, tab. LVIII, E.

(9) *Monumenti*, VIII, tab. XXVI. *Notizie degli Scavi*, 1887, tab. XVI, 1.

(10) *Jahrbuch*, 1887, tab. 12.

(11) *Archæologische Anzeiger*, 1892, p. 170, 174 (fig.). — *B. C. H.*, 1895, p. 75, fig. 2. — Rayet-Collignon, p. 49, fig. 28.

(12) *B. C. H.*, 1893, p. 435-6, fig. 8. — *Jahrbuch*, 1895, p. 44, fig. 8 (= B 122). — *Ibid.*, 1889, tab. 5-6, 3, 3ª, p. 224-5.

(13) *Athenische Mittheilungen*, 1895, tab. III, 2, p. 121-6.

rotundo, carnis mollitiæque prorsus refertum (1). Gracilius est alterum, longo corpore atque curva elegantique forma, gracili collo, exili vultu, arte quasi perfecta expressum (2). Sciunt autem, sæpiusque dixerunt docti, mollitiem quamdam atque crassitudinem formæ artis ionicæ esse propriam ac peculiarem. Nonne genus alterum, elegantius multo, corinthiacum esset, « peloponnesiaca » illa, quam volunt, simplicitate in primis distinctum (3)? Si tiara sphinges carent, quæ in vasis corinthiacis sæpius redditur, ob formam quadratam exiguamque ectypi, non ullam aliam ob causam, deserta fuit (4). Abundant ergo argumenta quæ ectypa probant esse corinthiaca (5).

Ut ordine respondeam, tiaram non credo ideò non expressam fuisse, quod spatio faber carebat idoneo. Nam sphinges duæ (12 A, 23) flore caput tectæ sunt, atque, in ectypo similiore, Eleutheris reperto, capita invenias tiaram haud aliter quam in vasis ferentia (6). — Ut « majora canamus », si duorum generum unum est corinthiacum, necesse fieri mihi videtur ut alterum sit ionicum, nam signa illa mollitiæ quæ tam severe arguuntur in exemplis ionicis, cuncta in ectypis 37, 44, 61-79 rursus reperiuntur. Sic, quum corinthiacas haberemus laminas, tum ionicas, quod eò magis fit singulare quod ectypa illa, forma quidem similiora, arte vero, ut volunt, maxime diversa eodem in loco ac prope idem templum reperta fuerunt (cf. ectypa, 44, 48, Ptoïi itidem reperta, arte vero inter se abhorrentia). Nec bene video quomodo ac quando arti ionicæ, quam priorem esse vulgo credunt, ars succederit corinthiaca.

Sed prorsus errant qui contendunt ionicam artem unam esse atque pingui mollitie in primis insignem. Si ionicum adjectivum nomen idem valet ac asianum aut « græco-asianum » (atque ut ita valeat necesse fit), nonnulla genera discernas quæ æquo jure voces ionica, quæque crassitudine illa sæpe omnino carent quam ita reprehendunt. Non equidem, quæ alio in opusculo scripsi (7), hic repetere possum, sed sphinges opponam duas, quæ valde sunt ionicæ, neque tamen pingui corpore

(1) 37, 44 (Ptoïi reperta). — 61-79 (Orchomeni).

(2) 12 A (in Acropoli inventum), 20 A (Corinthi?), 23 (ibidem), 48-9 (Ptoïi).

(3) *B. C. H.*, 1892, p. 360, n. 1.

(4) *B. C. H.*, 1892, p. 359, n. 3.

(5) De forma alarum semper curva, de punctisque quæ in crure summo posita sunt, vide quæ suprà notavi.

(6) *Journal of Hellenic Studies*, 1892-3, p. 251, fig. 21.

(7) *Catalogue des Bronzes de l'Acropole*, préface, *passim*.

sunt insignes, sed contra proceritate. Vas primum afferam, in Musæo Britannico servatum (1), quod chalcidicum quidam esse volunt, quod vero multo verius E. Pottier contendit esse « attico-ionicum (2) ». Sphinx autem persimilis in pictura redditur ejus, quæ in ectypis expressa est. Nec crassior est sphinx quam Naxii Delphis dedicavere, quamque Gallis contigit pæne totam nuper effodisse. Quibus exemplis sphingem addam æneam Athenis in Acropoli inventam (3), et quam, simul ac adspexeris, dicas esse eamdem quam quas in ectypo videas **12** A, in Acropoli itidem reperto. — Non jam concludere velim ectypum esse in Attica confectum, sed pro certo habeo opus esse valde ionicum. — Nunc enim transeundum ad vasa corinthiaca. Sphinges quidem plures reperias in vasis expressas, sed, inter tot exempla, vix pauca inveneris in quibus monstrum sit proceritate elegantiaque perspicuum : ceteris in picturis, pingui est corpore, crassiore vultu, rudi prorsus arte, pejus etiam quam ionicis in monumentis depicta. Si rara illa exempla fabri imitati sunt, felices ducendi quibus contigerit phœnica vidisse — stultiores vero habendi qui ionica exempla adspicere recusârint. Neque ulla ratione adducti sumus ut stultos illos esse credamus.

Ut de sphingibus absolvam, duarum sphingum capita flore quodam diverso tecta invenias, aut spiris longis (**23**), aut simplicioribus (**12** A), confecto. De priore μηνίσκου genere non est quod longius disseram, similis enim palma in ectypo quodam eburneo (4) atque in pictura pernota cyrenæa (5) redditur. Sed alterum significantius est. In fragmento quodam attico *de transition* (6), sphinges duæ tali aut similiore flore ornatæ sunt (minime editori E. Pernice assentire possum, qui spiram refert mycenæam, illa est enim longe diversa). Quod ornamentum in exemplo « proto-corinthiaco » sireni attribuitur (7), atque in amphora attica posteriore (8), Nicosthenis opere, Eridi aut Victoriæ volitanti. Si duo exempla attica retineo, quorum secun-

(1) *Journal of Hellenic Studies*, 1884, p. 220, A, tab. 41 (Smith).

(2) *Catalogue des Vases antiques*, I, p. 157.

(3) *Catalogue des Bronzes de l'Acropole*, 444, fig. 111, p. 153.

(4) *Musei etruschi*, tab. VIII, fig. 10.

(5) *Archæologische Zeitung*, 1881, tab. 12, 4; 13, 6, n° 12 = Dumont-Chaplain, p. 300-1, 15.

(6) *Athenische Mittheilungen*, 1895, tab. III, 1, p. 116-121.

(7) *Journal of Hellenic Studies*, 1890, p. 179, fig. 2.

(8) *Wiener Vorlegeblætter*, 1890-1. tab. I, 1.

dum ectypi similius est, nonne mihi concludere licet florem esse non ionica tantum, sed attica prorsus forma. Ita intelleges corpus monstri idem esse in ectypo quam in pictura quam vocavimus « attico-ionicam ». Nec, quod ad me quidem attinet, difficilius credam ectypum esse in Attica confectum. — Quod vero demonstratum satis esse confido, sphingem id est ionicam potius in ectypis quam corinthiacam exprimi.

14. — Sphinx barbata duobus in ectypis apparet, sive sedens (2 C), sive incedens (58), semper vero sphingi alteri opposita. — De quo ornamento facilius erit disserere, nam sphinx barbata, ut vulgò notum est, nunquam in vasis corinthiacis expressa est (1) : de origine corinthiaca non est posthac ut, de duobus illis saltem laminis, amplius dicere possint.

Sphinx autem barbata nonnullis in monumentis, ut de ægyptiacis taceam, assyriis (2), asianis (3), cypriis (4), etruscis (5), « etrusco-phœniceis (6) », imo atticis (7), græcisque veteribus (8). Frustra contenderunt tale monstrum imperitia, seu pictoris, seu fabri inventum fuisse (9), nam, si reperis forte sphingem barbatam sphingi femineæ oppositam (10), non casu accidit ut Phidias in sede olympiaca sphinges finxerit barbatas (11), neque ut ægyptiacum vetus imitatus fuerit ornamentum. E vita contra ductum est, quum Græci sphinges femineas tantum mitioresque reddidissent, eos nonnunquam meminisse monstri quod in Ægypto tam fere mortales occupat. Hoc vero notandum est, Ionicis tantum, ut quibus Asiæ propioribus, talem sphingem notam esse, minime, ut remotioribus, Corinthiis. — Quod ad spiram attinet, quæ de capite sphingis pendet orchomeniæ (58), sciunt talem ornatum esse in cunctis monumentis frequentissimum, sed persimilem spiræ formam in una reperiri pic-

(1) *B. C. H.*, 1895, p. 195, 449; p. 222, 3.

(2) Longpérier, *Antiq. de France*, 1854, p. 106 (= Dumont-Chaplain, p. 175).

(3) Perrot, *Exploration de la Galatie*, tab. LXV, LXVII.

(4) Perrot, *Hist. de l'Art*, III, p. 707, fig. 519.

(5) *Anzeiger*, 1893, p. 82.

(6) *Monumenti*, VIII, tab. XXVI. — *Notizie degli Scavi*, 1887, tab. XVI, 1.

(7) *Athenische Mittheilungen*, 1895, tab. III, 1.

(8) *Archæologische Zeitung*, 1885, 237. — Carapanos, *Dodone et ses ruines*, tab. XX, 1.

(9) *Athenische Mittheilungen*, 1895, p. 116-121 (E. Pernice).

(10) *Monumenti*, VIII, tab. XXVI.

(11) *Jahrbuch*, 1889, p. 128-9.

tura naucratica (1), quam inutile esset, credo, monstrare esse ionicam.

15. — Centaurum in uno ectypo reperias orchomenio (80), sed, si monstrum cum ceteris centaurorum figuris conferes, statim agnoveris feram esse singularis cujusdam naturæ, quæ non modo alata est, sed, contra morem centaurorum, neque equina, neque humana crura habet, sed contra leonina. Cavendum vero ne figuræ penitus credas, quæ, non ita est ac voluerim, ad verum delineata, multò vero gracilioribus longioribusque in ectypo prædita pedibus.

Centaurum autem vulgo dicunt non unquam a Græcis alatum reddi (2), sed semper equi esse, tergo, simillimum. — Quod fateor sæpius fieri, sed, ut solet, exceptis tantum excipiendis. Tria enim exempla afferre possum (neque tria tantum re vera esse possunt), in quibus sine ulla dubitatione centaurus adest alatus. In poculo nigro chiusino, generis ejusdem quod *a bucchero* vocatur (3), in pictura Athenis inventa atque artis quæ dicitur geometrica exemplo (4), in cantharo etrusco musæi berolinensis (5), centaurus sine dubio alatus redditur. In tertio vero monumento est nostri monstri valde similis, nam non solum manibus fustem tenet, sed pedibus est quoque leoninis.

Scio, eodem in cantharo, sphinges exprimi similiter incedentes fustemque bracchio ferentes. Fieri ergo potuisset ut faber, duobus juxta positis monstris, omnes corporis partes ad verum delineare minime curasset, centaurique pedes tanquam sphingum effecisset leoninos. — Sed, non uno in exemplo, centaurus ita apparet. In nostro ectypo, nulla sphinx juxta redditur : cur errorem iterum fabri incuses, eò minus veri similiorem, quod secundus esset, atque in regione et in arte diversioribus.

Igitur potius admittam non modo, quod certum est, centaurum interdum esse alatum, sed etiam leoninis cruribus nonnunquam præditum esse. — Neque fortuitum est aut casu accidit ectypum orchomenium cum vasis illis in Etruria repertis atque sive cælatis, sive fictilibus ectypis ornatis, arcta necessitudine esse connexa. Quæ enim exempla, ut planum est cuiquam mo-

(1) *Naucratis*, II, tab. VI.

(2) *Athen. Mittheilungen*, 1895, p. 114. — Roscher, *Lexikon*, Kentauren, p. 1079.

(3) *Annali*, 1877, tab. UV, 7, 7ª, p. 407 (Helbig).

(4) *Athenische Mittheilungen*, 1893, VII, 111-5, fig. 10.

(5) Gerhard, *Antike Bildwerke*, 452ᵇ = Furtwængler, *Beschreibung der Vasensammlung*, 1541, t. I, p. 174.

numenta græca vetera conferenti, licet sint forte, — quod nondum est compertum, — in Italia confecta, — græcam spirant artem, eamdemque prorsus ionicam. Quo probato, sequitur duobus ectyporum generibus, quum fictilibus, tum æneis, originem eamdem certo attribui posse, id est Ioniam.

16. — Inter Gorgonis figuras, illam primum excipiam, in qua monstrum apparet vultu immani, corpore anguibus repleto. Non ullum, credo, exemplum similius reperiam, quam Athenarum quarumdam ægidas in vasis atticis expressas, amplexu complexuque serpentium haud aliter horrentes.

17. — Dissimiles sunt figuræ illæ alatæ quæ quinque in ectypis (20 B, 25 B, 27 A, 28 A, 41), sive in dextram, sive ad sinistram currentes apparent, arcum interdum manu tenentes (28 A). — Sæpius alæ sunt forma illa curvata, quam volunt esse corinthiacam, quam contra suprà monstravi non minus esse ionicam. In uno exemplo aliter curvæ sunt, non secus ac in sigillo quodam æneo Athenis in Acropoli reperto (1), atque in multis, quum cyrenæis, tum ionicis picturis. In alio autem, quum duæ tantum alæ redduntur, alteram sublatam videas, reclinatam alteram, — quod re vera rarum est in veteribus monumentis, licet idem notare possis in quibusdam aliis exemplis. In ectypo illo æneo in musæo Karlsruhe servato, eodem modo alatus est qui currit ad dexteram dæmo (2), atque ita rursus Hermes in amphora attica depictus (3).

Pluris vero scire refert quæ persona iis in ectypis reddatur, Gorgone sit an alatus quilibet dæmo (4). — Quod ad duas laminas attinet, olympiacam unam, alteram Ptoïi repertam (27 A, 41), non credo ullam restare difficultatem, nam, prope zonam angues apparent quos Gorgo manibus tenet, quum in bœotico exemplo, tum, ut recte agnovit M. Holleaux, in olympiaco (5). At enim serpentes desunt qui pæne semper vultum Gorgonis complectuntur, crines vero apparent, ut in multis atticis monumentis, ordine dispositi (6). Quid, si Gorgo, in nonnullis exemplis, sive in vetere asiano nummo (7), sive in clypeis Athenis

(1) *Catalogue des Bronzes de l'Acropole*, 809.

(2) Schumacher, *Beschreibung der Sammlung antiker Bronzen*, tab. VI, 1, 268, p. 47-8.

(3) De Witte, *Elite Céramographique*, II, tab. XXXVI, D, p. 113.

(4) Dumont-Chaplain, p. 298, not. 3.

(5) *B. C. H.*, 1892, p. 350, not. 3.

(6) *Wiener Vorlegeblætter*, 1888, tab. II (Urania).

(7) Roscher, *Lexikon*, p. 1708, fig.

in Acropoli repertis (1), nonnunquam sine anguibus apparet, lingua tantum pendente, grandibusque oculis solum terribilis?

De ceteris ectypis non ita facile judicium exercueris, nam lamina pessime servatur (25, B), aut caput, quæ pars maxima viri, haud quaquam est integrum. — Quintum vero exemplum (28, A), confido non esse Gorgonem, nam arcum nunquam tenet monstrum. Quum contra Herakles non unquam videtur alatus, restat tantum ut dæmo exprimatur, naturæ minus certæ, Gorgoni vero κηρίque similis.

Duas ita tantum Gorgones sine ulla dubitatione agnovimus. Restat ut monstra conferamus cum ceteris græcis similibus exemplis. Quod si facere tentamus, statim planum est pauca admodum esse monumenta in quibus Gorgo manibus tenet serpentes. Licet Hesiodus monstrum ita depinxerit, quum fabri, tum pictores poetam raro secuti sunt. Nonnulla referam etrusca vasa quæ generis sunt *a bucchero* vocati (2), atticaque (3) plura, inter quæ vas eminet, Amasis opus, prorsus ergo ionicum (4). Non nego « chitonem » Gorgonis esse brevem, formæ quæ dicitur dorica, sed, ne multas similes figuras memorem Athenis in Acropoli repertas (5), notum est ionica non deesse monumenta quæ personas reddant *tali veste indutas*. Igitur ectypa necesse est ut dicantur, si non ionica, saltem, quod pæne idem est, ionicorum monumentorum persimilia.

Si de monstris quæ dixi repeto, non solum origine sunt, quod luce clarius patet, Orientis propiora, atque ex Asia Ægyptoque in Græciam lentò migrârunt, sed, sub illa ipsa forma, sub qua in ectypis apparent, ionicæ artis paulum abest ut exempla esse videantur. Quid vero? In ionicis tantum monumentis, gryps incedit, sphinx apparet barbata, centaurus alatus adest, Gorgo manibus tenet angues — artem imo si respicies qua monstra delineata expressaque fuerunt, grypem invenies, forma gulæ, esse ionicum, sphingem, corporis gracilitate, atticam ionicamque videri, centaurum Gorgonemque, sive pedibus, sive alis, exempla referre prorsus ionica. — Hoc ergo retineamus, quod attinet ad monstra, ectypa necesse fieri ut sint ionica.

(1) *Catalogue des Bronzes de l'Acropole*, 263-4, fig. 60, p. 91-2.
(2) Furtwængler, *Beschreibung der Vasensammlung*, I, 1694.
(3) *Journal of Hellenic Studies*, 1884, p. 220, tab. 43.
(4) *Wiener Vorlegeblætter*, 1889, tab. IV, 1b.
(5) *Catalogue des Bronzes de l'Acropole*, 799-814.

C. — De scenis diversis.

18. — Tribus in speculis, 2 B, 3 B, 4 B, juvenis apparet, longa ionicaque veste indutus, manibus ramum floremque loti, sive tenens, sive tollens. Incertum est quidem virne sit an femina, nam vestis, primo adspectu, potius esset feminea, sed, multis in exemplis, sive in statuis (1), sive æneis in sigillis (2), viri expressi sunt, ionico amictu haud aliter obducti. Gallus vero, qui in lamina 2 B prope juvenem incedit, feminæ minime convenire videtur, quum contra pernotum est quam sæpe in manibus puerorum sæpiusque deliciarum positus appareat. Hoc vero certum est, si incertum quæ persona reddatur, ionicam esse, quum vestem quam delegit, tum artem cum qua figuram faber expressit. Necesse non fit ut « Spem » « Junonemque Lanuvinam (3) » memorem κόραςque illas innumeras, sive marmoreas, sive fictiles, sive æneas, quum Athenis in Acropoli, tum pæne in unoquoque græco templo, repertas.

Addere possim duas illas feminas quæ, in ectypo Eleutheris reperto (36 A), prope Augen incedunt, vittam, ramum, coronamque tenentes — sed longe diversam ob causam in lamina redduntur, quæ non tabulam implent tantum ac decorant, sed alii scenæ adsunt, quasi testes sodalesque. Si vero artem solam respicies, feminæ sunt juvenum nostrorum valde similes, nihiloque minus ionicæ.

19. — Duobus in ectypis bœoticis inter se margine communi conjunctis, duo juvenes apparent, qui, manibus sublatis, coronam invicem tendere ac accipere videntur (45). — Qui laminas edidit, M. Holleaux, jure, ut supra vidimus, stelam contulit peloponnesiacam (4), in qua stat quidem virorum unus, nec, ut in ectypis, incedit, sed, quum gestu, tum corporis forma, similior est bœotici nostri exempli. Stelæ nonnulla addere licet monumenta, sive Dipyli vasa, sive ectypum fictile in argivo Heræo inventum (5), ubi duo viri, bracchiis itidem sublatis

(1) *Catalogue des Musées d'Athènes*, p. 107 (633).

(2) *Catalogue des Bronzes de l'Acropole*, 802.

(3) *Rœmische Mittheilungen*, 1895, 19 a-c, p. 296-7 (Petersen).

(4) *Athenische Mittheilungen*, 1883, tab. XVIII, 2.

(5) Quod mihi petenti liberaliter communicavit Richardson atque delineavit J. C. Hoppin.

sive inter se dimicare videntur, sive, contra, sibi invicem impertire salutem : gestus ergo maxime vetus esse videtur, coronaque tantum, fabri aut stelam aut ectypum a ceteris similibus exemplis distinguere conati sunt.

Ita scena ipsa minime est, sive in stela, sive in lamina, peloponnesiaca — ars verò multo minus etiam. Ostendi enim talem corporis formam nihilo dici posse, seu « geometricam, » seu « peloponnesiacam (1). » — Quid de subtili ingenio, quo forte adductus, faber ita repleverit ectypum, ut vacui nil propemodum restaret, quod volunt signum esse artis corinthiacæ. Si res ita se haberet, quomodo potuerunt ii qui tabulas pinxerunt corinthiacas non modo res tam male reddere, sed, quod maxime refert, tam confuse, ita ut margines raro scenam totam contineant (2), sæpiusque aut vacua restet pars magna tabulæ, aut inchoatum in modum repleatur. Quod si vasa contuleris rhodia aut ectypa Rhodi confecta (3), nil contra tantum mirabere quam solertiam, qua usi sunt fabri, ut tabulam scena totam decorent.

20. — In ectypo, Athenis in Acropoli reperto, feminam agnovisse credidi sedentem atque coronam alii viro stanti tendentem (**15** A). Non nego laminam esse pessime servatam, nec figuras certum in modum posse discerni. Sed, si non oculis fallor, sique vera est, quam dixi, imago, ionica tantum monumenta cum ectypo conferre possim (4) (de stela « peloponnesiaca, » in qua talis scena redditur, vide quæ supra notavi). Ectypum ergo ionicum esset, quod intelleges, si memineris laminam fuisse in Attica inventam.

21. — De simili ectypo (**19**), eodem in loco invento, non amplius, quam de præcedente disseram. Nam, si bene discernis sedentem hominem atque dextram alteri porrigentem, frustra tentes scenam certò explicare, nec, meo quidem sensu, interest multum responsum hic fingere, cui alius aliud opponet, non minus ingeniose inventum, non vero, quod pluris refert, ullo modo magis certum.

22. — Puer, qui in ectypo **31** equitans redditur, in vasis stelisque græcis, pæne in unaquaque regione expressis, haud aliter exprimitur. Ita frequens est scena, ut exempla referre vix sit necesse. Corinthiacis quidem in monumentis nonnunquam

(1) *Catalogue des Bronzes de l'Acropole*, 46, p. 18-9.
(2) *B. C. H.*, 1895, p. 191, not. 5.
(3) Salzmann, *Camiros*, tab. 1.
(4) *Catalogue des Bronzes de l'Acropole*, préface, p. XX.

eques apparet, sed in cypriis poculis, sive æneis, sive argenteis, jamdudum notus erat, qui in stela Doryleæ reperta (1), in meliis picturis (2), in nonnullis atticis funebribus ectypis (3), in ionicis, « attico-corinthiacis »que vasis similiter exprimitur. Corinthiaca quidem reperias equitantium exempla, multo plura vero ionica : quæ quum ita sint, nonne satius est credere ionica ex arte puerum esse desumptum ?

Si scenas illas quinque repetemus, difficilius de illis dijudices, quum duo minus certæ sint ceteræque non ita definitæ fuerint quam monstrorum aut animalium formæ. Sed, puero excepto qui corinthiacus ipse minus est quam ionicus, juvenes stantes ionici valde videntur, supràque diximus cur coronam tenentes viri ionici quoque satius sint quam corinthiaci. — Hoc ergo retineamus, quod ad scenas illas diversas attinet, ionica esse videri quæ amplexi sumus exempla.

D. — De curribus pugnisque.

23. — Bigarum currus quinque in ectypis apparet, tribus dodonæis (5 B, 8, 10), duobus bœoticis Ptoïi repertis (46-7). Quæ duæ origines duo dederunt ectyporum genera : in dodonæis, aut currum vir ascendit, aut Victoria vehitur alata ; in bœoticis contra, auriga vehitur retrorsum verso capite. Sed arte magis etiam quam personis diversa sunt : dodonæa enim multo sunt bœoticis recentiora atque ætate illa confecta videntur qua ars græca perfectior erat. Exempla igitur deseramus dodonæa, quorum similia quædam ectypa reperias fictilia in Italia expressa (4), unique, quod multò magis refert, laminæ studeamus bœoticæ.

Bœoticorum exemplorum rursus similia invenias ectypa quædam fictilia, quæ, præter unum, Mycenis inventum (5), cuncta ex ionica terra, si ita dici potest, effossa fuisse traduntur (6). Jamjam illa monumentorum illorum similium origo

(1) *Athenische Mittheilungen*, 1895, tab. II.
(2) Rayet-Collignon, tab. 2.
(3) *Athenische Mittheilungen*, 1879, tab. V.
(4) *Archæologische Anzeiger*, 1889, p. 163.
(5) *B. C. H.*, 1888, p. 509.
(6) *B. C. H.*, 1888, p. 500 (15·), p. 498 (12·), p. 492-3, fig. — Ἐφημερίς Ἀρχαιολογική, 1885, p. 178, not. 2.

nobis erit documento. Sed avis, quæ super equos volitat, ionicum rursus est, ut supra vidimus, signum certissimum (de forma rotarum, quæ « geometrica » non minus est quam corinthiaca, vide quæ supra exposuimus). Restat ut currus equique, si viro doctiori credendum (1), elegantia quadam insignes sint quam volunt esse corinthiacam. Sed, ni fallor, cuipiam currum nostrum inspicienti planum est elegantiam illam fictam potius esse quam veram ac perfectam. Mea quidem sententia, non modo non elegans est bigaram currus, sed artis est prorsus rudis atque in primis inchoatæ. Sed imperitia illa non magis est corinthiaca quam ionica, licet facilius reperias ionica exempla quæ non sint magis perfecta : imperitus est artifex, quia nondum suetus est figuras personasque ad verum exprimere, id est quia veterrimum est ectypum. Equos multos reperias similes, sive æneos, sive fictiles, Olympiæ atque Athenis, in Acropoli, magno numero effossos : nulla vero affinitate sunt cum nostris ectypis nexi, nisi ipsa fabrorum imperitia.

Igitur (ut de Iolao taceam), non credo fieri posse ut forma et arte currus dicatur esse corinthiacus. Contra vidimus ectypa similia in Ionia reperiri avemque supra volitare ionicum.

24. — Currum quadrigarum octo in ectypis expressum reperies (**7**, **9**, **34**, **36**, **81-3**, **97**). Diversum quidem in modum, ut infra videbimus, redditus fuit, sed semper ita fictus, ut equi spectantem versus incedere videantur, neque, ut bigarum currus, simpliciter ante oculos transeant. At equorum capita non in collem reclinata sunt, sed, quod ad duos medios equos attinet, jugum versus inclinantur, quod ad duos alios, versus tabulæ margines spectare videntur.

Nonnullis in monumentis, fictilibusque æneisque, talis currus eodem modo redditur, quæ exempla cuncta sunt, sive ionica, sive, quod pæne idem est, attica. Jure ergo, quadrigarum currum ita dispositum atque tali modo in spectantem incedentem ionicæ artis quasi proprium esse dixerunt (2). Quod ut facilius appareat, quæ contuli exempla (3), necesse est ut brevi repetam. Chalcidica reperias vasa (4), « attico-corinthiaca (5), » atticas

(1) *B. C. H.*, 1892, p. 361.

(2) *Olympia*, t. IV, *Die Bronzen*, p. 104-5.

(3) *Catalogue des Bronzes du Polytechneion*, p. 137, 212. — *B. C. H.*, 1895, p. 224.

(4) Gerhard, *Auserlesene Vasenbilder*, II, tab. 105-6.

(5) *Jahrbuch*, 1890, p. 248, 58 (p. 267).

amphoras (1) « lecythos »que (2), attica pocula (3), imo Nicosthenis (4) Pamphæique (5) opera. Quibus picturis vas æneum Ruvi repertum (6) notasque sculpturas Selinusias (7) addere possis, nec minus ectypa quædam fictilia, in Sicilia inventa, nec a nostris multo abhorrentia (8). — Quibus multis exemplis (neque cuncta, etiam quæ noverim, numeravi), non ullam opponere possis picturam corinthiacam neque ullam « peloponnesiacam. »

Si in ectypis scena eadem agitur, diversum in modum, ut diximus, agitur, triaque facilius, quod refert ad quadrigarum currum exprimendum, discernere possis laminarum genera.

In exemplis bœoticis, Eleutheris (36 C), Orchomenique (81-3) repertis, currus apparet prorsus rudis, non dissimilis currui illi bigarum quem volebant esse corinthiacum. Quod diximus de bigis, igitur esset de quadrigis repetendum. Quum in sigillis veteribus quæ in Græcia undique abundant, tum in fibulis illis cælatis quas in Bœotia supra diximus esse quasi indigenas, equi artem spirant pæne eamdem, si artis est nomine digna. Capita sunt ita graciles, pedes et crura quasi inanes, corpora tam ossei. Quæ monumenta ita similia sunt ectyporum, ut cunctorum exemplorum originem libenter credam esse eamdem, id est bœoticam.

Jamjam in eleuthereo ectypo, prope tabulæ summam partem, caput eminebat, sive viri, sive feminæ, seu dimicantis cujusdam, seu victoriæ cujusdam alatæ. — In lamina dodonæa 7, olympiacaque 34, ducum duorum apparent capita, galeata, ac, in olympiaco exemplo, crista tecta singulari. Equi vero, licet adhuc sint singulares, multo plenius ad verum exprimuntur atque, hiantibus oribus, vasa referunt attica, nigris quidem figuris ornata, sed antiquioribus recentiora (9).

(1) Gerhard, *Auserlesene Vasenbilder*, I, tab. 1; *id.*, II, tab. 137; *id.*, III, tab. 231. — De Witte, *Elite Céramographique*, II, tab. CXV.

(2) *Monumenti Antichi*, I, 907, 311.

(3) Gerhard, *Auserlesene Vasenbilder*, I, tab. 61.

(4) *Archæologische Zeitung*, 1885, tab. 16, 1, p. 251-2 = *Wiener Vorlegeblætter*, 1890-1, tab. IV, 5.

(5) *Museo Gregoriano*, II, tab. 66, 4.

(6) Musæum Neapolitanum, 69089.

(7) Benndorf, *Die Metopen v. Selinunt*, tab. 3.

(8) Kekulé, *Terrakotten v. Sikelien*, p. 82 (= *Bullettino arch. Napolitano*, N. S., 1854, tab. II, 3). — *ibid.*, p. 81-2, tab. LIV, 1 (= Serradifalco, II, tab. XXVII *bis*).

(9) De Witte, *Elite Céramographique*, II, tab. CXV.

Tertium genus artis est vinclis prorsus solutæ, quæ victoriam ostendit curru vectam atque libere incedentem. Ut dodonæum omittam exemplum (9), quod rudius est simul ac recentius, unum retineamus, Athenis in Acropolis repertum (97), quodque non necesse est longo inspicias, ut originis certior fias atticæ. Fragmentum imo eodem in loco nuper invenerunt quod ectypi simillimum est, quum figuris ornatum sit rubris atque, inter vasa in Acropoli reperta, recentius esse probetur. Ita, si quam ætatem ectypo tribuemus, idem primis in annis sæculi a. C. quinti confectum esse confirmare poterimus, nec nimis erimus audaces si confiderimus laminam Athenis elaboratam fuisse.

25. — Pluribus in ectypis scenas invenias diversas, quæ homines reddunt varie inter se dimicantes. Laminæ vero quæ ita sunt decoratæ, plerumque sunt quoque pessime servatæ, sæpiusque incertum sit quæ scena in lamina reddatur. Etiam quum totum ectypum integrum est, pugna agitur quam difficilius cum ceteris monumentis similibus conferre possis, adeo vagi nescio quid ac incerti in complexibus illis semper hæret, qui, quum frequentissimi sint, pæne iidem, quocumque in casu, semper repetuntur, nec signo unquam notantur proprio aut usus cujusque peculiari.

Ita ectypa in Acropoli reperta, 16 A, 18, non est ut amplius definire possis, quippe qui homines videas diversas in partes incedentes, quid faciant vero, prorsus nescias. — In alia lamina, 12 D, minotaurum agnovit P. Wolters (1), nescio vero (ut infra videbimus) an jure agnoverit. — In alia, 32 B, tres viri inter se dimicare videntur, incertum vero an dimicent. — In alia, 5 A, vulneratum hominem sublevare ac contra progredientem hostem defendit miles, neque difficile græcis in fabulis scenas invenias similes, quibus æque tabulam possis accommodare. Cur vero, quum tot fabulæ sint inter se similes, unam deligas quam dicas in ectypo expressam fuisse? Quod non modo facere nequis, sed, si facis, certo committis errorem. — Rursus in duobus aliis peloponnesiacis pugnam agnoscere paratus sum (28 B, 85). — Sed, si forte dicit A. Furtwængler hostes duos, quos videas in lamina 85 expressos, non dimicare quidem, sed, quum in eo erant ut dimicarent, se tanquam amicos mutuo cognovisse, imo si viris nomina largitur, eosque Glaucum no-

(1) *Athenische Mittheilungen*, 1895, p. 474-5.

minat atque Diomedem (1), subtilitatem equidem miror docti, sed dictis assentire omnino non possum. Forte potuissem, si dicta probasset, sed, quum affirmando contentus est, et ego negando contentus maneo. Verum est incertum prorsus esse an supplicem manum tendat unus, incertius adhuc an se agnoscant amicos, incertissimum an Glaucus sint atque Diomedes.

Unum restat ectypum, Athenis in Acropoli repertum, **11** C, in quo duo viri dimicantes gladium pari gestu educunt e vagina prius quam in se invicem irrumpant. Notum est quam frequenter veteres fabri milites heroesque ita finxerint, nec exemplo utar longius arcessito, quum duæ laminæ, in Acropoli itidem inventæ, currentem reddant hominem gladium haud aliter educentem (**92-3**), nec desint sive sigilla (2), sive vasa (3), in quibus miles ita ostenditur. — Cur ideo viros nominem Ulyssemque Ajacemque inter se dimicantes (4)? Non nego scenam esse, quum frequenter expressam, tum ceteris laminæ partibus satis apte accommodatam. Sed multi heroes inter se tali modo certaverunt, multi, etiam in bello trojano. Cur non credere satius est scenam esse ornamenti causa tantummodo excussam? Quomodo, quum tot nomina in promptu sunt, duos deligam quos fabrum contendam et ipsum delegisse? —

Ita fit ut scenæ illæ, quæ dimicantes viros ante oculos ponunt, non modo non certis queant designari nominibus, sed arti tribui certæ haud ullo modo possint. At, quod ad currus attinet, exempla vidimus bœotica, quum quadrigarum, tum bigarum, aliorum esse arte prorsus dissimilia. Nec nego illa esse quoque ceteris antiquiora, sed non ob ætatem tantum ab illis adeo distant — nonne satius esset credere diversa ectyporum genera diversis in regionibus expressa fuisse. — Neque, credo, repetere etiam necesse erit « peloponnesiaca » etiam tum non visa fuisse quæ inspeximus ectypa. — Hoc ergo retineamus quum laminas interdum esse inter se diversas, tum semper ionicas.

E. — De divinis heroïcisque fabulis.

26. — In exemplo bœotico Ptoïi reperto, **44** A, Jupiter expri-

(1) *Olympia*, t. IV, *Die Bronzen*, p. 104.
(2) *Archæologische Anzeiger*, 1889, p. 93, 5.
(3) Gerhard, *Auserlesene Vasenbilder*, III, tab. 185.
(4) *Athenische Mittheilungen*, 1895, p. 477-8.

mitur, ut suprà vidimus, contra Typhonem dimicans. — Quod ectypum si forte conferimus cum pictura quadam chalcidica (1) cumque aetomate Athenis in Acropoli invento (2), luce clarius patet scenam in lamina prorsus diversam agi quam quæ redditur in duobus aliis monumentis. Neque tantum differt ectypum, quia immanis est corpore vultuque Typho, sed quod pars infima monstri cum uno tantum capite jungitur (quæ duo signa, in uno vel altero monumentorum, notabis). — Sed licet sit imago ænea diversa, hoc tamen animadvertendum Typhonem exprimi qui veteribus in exemplis haud ita sæpe refertur (3), sed, ut vidimus, in duobus ionicis monumentis sine ulla dubitatione fingitur. Sequitur ut, si laminæ origo exactum in modum definienda est, ionicum quoque credam esse monumentum. Nec referre necesse quam sæpe atticis in vasis Gigantomachia reddatur.

Cur vero dissimilis est monstri forma? Num forte credendum ob ectypi formam, quum quadratam, tum maxime exiguam, fabrum coactum fuisse ut corpus unum unumque caput Typhoni tribueret? At in chalcidica pictura, capite uno monstrum præditum reperias, licet vultus sit minus ferinus, nec, ut in ectypo, prorsus horrendus. — Ita credam duo esse, imoque statim a principio fuisse, Typhonis genera, unum, quod in ectypo videmus, alterum quod aetoma refert atticum. Imo non est quin fingere possim pictorem chalcidicum, ne dicam laminam nostram, exempla saltem quædam laminæ similia, imitatum fuisse, sed, quum solertior esset et arte perfectior, mitiorem reddidisse Typhonem. — At pro certo habeo duo illa genera itidem fuisse ionica, nec alia in regione Typhonem nostrum inventum fuisse, alia in regione Acropoleos monstrum.

27. — Duobus in ectypis Promethea agnovisse creditum, in uno olympiaco 27, C, in altero bœotico Ptoïi reperto, 43.

Quæ si confers exempla, jamjam vides duas laminas non nihilo inter se esse dissimiles. Non modo in una ad dextram versus esset Titan, in altera ad sinistram (idem de Ajace moriente infrà notabis), sed, licet, summam cuipiam facienti, pares forte esse videantur duæ sedentes figuræ, re vera pares non sunt. Olympiaco in ectypo corpus est mollius, angulis non æque duris delineatum ac perfectiore arte expressum. Nec crura

(1) Gerhard, *Auserlesene Vasenbilder*, III, tab. 237.
(2) *Athenische Mittheilungen*, 1889, tab. II, p. 67, etc.
(3) *B. C. H.*, 1892, p. 352, not. 3.

sunt eadem, quæ Olympiæ duo apparent (in bœotica lamina contra, quod sæpius accidit in ionicis exemplis, pes unus cernitur, altero tecto invisoque manente) : imo elegantius posita sunt atque magis inclinata, quum contra, angulo prorsus rudi, Ptoïi, terram versus directa fuere. Denuo vir vere sedet Ptoïi, atque in sede, quanquam humili, positus, quum contra, Olympiæ, humi sedet, aut, ut verius dicam, sedens effingitur, licet culo non tangat terram. Deinde, in uno ectypo, liber est, nullo vinculo vinctus, neque bracchiis post tergum religatis : contra vero, Olympiæ, pedibus bracchiisque bis est atque, ut videtur, arcte devinctus. — Duas laminas sequitur non modo diversas esse, sed olympiacam, ni fallor, esse multo altera anteriorem.

In bœotico autem ectypo, avis pennæ quidem apparent, sed avem non cernunt, ut vult fabula, pascentem Titanis jecur. Quod si memineris vincula nulla exprimi, forte conferre velis picturam illam cyrenæam in qua Jupiter sedet, aquila prope deum volitante (1). — Sed crura corpusque viri grandiora sunt et diis minime conveniunt, qui, in « Gigantomachiis, » humana statura semper prædicti sunt, quum contra Titanes Gigantesque majores hominibus redduntur (vide quæ de Typhone suprà exposuimus). Neque in ectypo sedet persona ut Jupiter in exemplo cyrenæo, sed, genibus sublatis, atque in sede humiliore positus, minime dei similis videtur.

Exempla potius conferam in quibus vir sedet captus, genibus interdum sublatis (2) avique, aut grype, interdum lacessitus. Cypriaca autem illa etruscaque pocula sciunt quam arcte cum ectypis connexa sint, quamque sint penitus ionica.

Igitur bœoticum exemplum monumentis illis arte est affine. Nondum Prometheus effingitur, sed ornamentum tantum repetitur ionicum : vir adest sedens aquila prope volitante. — Olympiaca tantum in lamina, Titan vere redditur, nec, quod in primis notandum, multum immutanda fuit prior sedentis imago. Sic, eadem similive via, fabulæ in Græcia fiebant atque nova surgebant in arte ornamenta.

28. — Quibus duobus ectypis tertium non addidi **13 B**, quod præcedentium est paulisper diversum (homo jacet nudus quem occupat avis). Quum lamina non sit bene servata, P. Wolters sibi visus est sphingem cernere insuper cadaver sedentem atque

(1) *Archæologische Zeitung*, 1881, tab. 12, 3.

(2) Helbig, *Homerische Epos*, tab. I. — *Archæologische Anzeiger*, 1890, p. 151-2, f. 3.

mortuum secum una rapientem (1). Quam sæpe talis scena sive in vasis, sive in eis quæ dicuntur meliis ectypis, ante oculos ponatur, notum est ac pernotum : hoc tamen animadvertam, ornatum esse in recentioribus monumentis tantum, sub illa quam volunt forma, expressum. At enim Theseus, qui eadem in lamina profertur, arte non est, ut infra videbimus, multo antiquior. Igitur, si ætatem tantum ectyporum respiciam, viro doctiori libenter assentiam.

Sed, ut qui laminam ipse sæpius magna cum diligentia inspexerim, me confiteor nil tale in ectypo discernere potuisse. Neque pedes agnovi leoninos, neque corpus monstri sedentis, nec capitis minimam partem. Avis contra, ni fallor, ne dicam in figura quam supra delineatam videbis, sed ipso in ectypo, alam largam grandemque juxta mortuum jacentem discernere credidi. Neque magis admittam, avi non melius quam sphinge, tabulam repleri quadratam (2). Si avem enim finges alas duas, ut in poculis quibusdam bœoticis (3), æquo modo pandere, pars superior ectypi optime impletur — quæ contra pessime ornata est etiam ala curva monstri sedentis.

Chaldaïcum sciunt exemplum talibus avibus jacentia mortuorum corpora edentibus esse repletum (4), cui gemmam addere possis (5), ectypumque fictile Teni in insula repertum (6). Haud aliter ergo quam Prometheus olympiacus, cadaver noster, jacens in campo, antiquissima refert monumenta, eaque rursus ex Oriente deprompta.

29. — Hercules, ut iis quæ sequuntur valde planum erit, sæpissime in ectypis exprimitur, quod facilius admittes, si memineris plerasque laminas esse, sive in Attica, sive in Bœotia, repertas, quæ duæ regiones, atque in primis Bœotia (7), Herculem maxime colunt. Nec nego in Peloponneso heroem notum fuisse ac templis donatum, sed nusquam magis quam in Bœotia Atticaque cultus esse videtur.

Cunctis in ectypis nudus apparet heros. Una est eccipienda lamina Eleutheris reperta, in qua pelle leonina brevique veste tegitur, 36 B. Robore quoque semper armatus est, uno excepto

(1) *Athenische Mittheilungen*, 1895, p. 481-2.
(2) *Athenische Mittheilungen*, 1895, p. 482.
(3) *Jahrbuch*, III, 325-365. — *B. C. H.*, 1895, p. 179-181.
(4) De Sarzec-Heuzey, *Découvertes en Chaldée*, tab. 3.
(5) *Revue Archéologique*, 1878, tab. 20, 2.
(6) *Athenische Mittheilungen*, 1886, p. 87-92, fig.
(7) *B. C. H.*, 1895, p. 155.

ectypo, eodemque posteriore, 32 A : etiam quum contra Senem Maritimum dimicat, robur, quod manibus tenere nequit, in tabula juxta apparet. Arcum quoque nonnunquam fert, non secus ac pharetram. Denique barbatus non est, illo etiam excepto exemplo, in quo contra Senem certat, nec obliviscendum, si barbatus non est, nisi in operibus ionicis (1), ectypum idem solum esse litteris ornatum argivis. Igitur, aut credendum barbam esse signum minime certum, quod verum esse valde confido, aut lamina ionica est dicenda, quod æque verum confidam.

Nec robur, ut ostendit Furtwængler, signum est certius (2), sed, jamjam in antiquissimis exemplis, robur librat heros. — Nudus vero non ita sæpe apparet, sæpiusque, ut infra passim videbimus, in ionicis monumentis.

Ita non signis illis exterioribus ullo modo scire possumus quæ exemplorum genera sint ectyporum similia. Restat ut scenas illas brevi repetamus in quibus redditur heros.

30. — In ectypo, Athenis in Acropoli reperto, Hercules contra leonem certat nemeæum, ita vero ut stet monstrum, herosque contra incedat, manu librante robur. — Quod telum, ut diximus, non primus, ut fama ferebat, heroï attribuit Pisander (3), sed, quod ad leonem attinet nemeæum, videtur Hercules gladium in antiquioribus monumentis, in recentioribus tantum tenuisse robur. In « Alabastro » illo, Syracusis, in cœmeterio Fusco reperto (4), nescio quo jure Furtwængler, qui non vidit exemplum, robore dixerit armatum esse deum (5), quum contra Mauceri, qui vas invenit gladium perspicue agnovit. Nec nego, alia in pictura corinthiaca, eademque Athenis inventa, gladium in manu teneri (6). Sed antiquius licet, quum syracusano, tum attico exemplo, referre monumentum, id est « proto-corinthiacam » quamdam lecythum, nunc in musæo berolinensi servatam (7) : si enim credere nequeo, ut supra indicavi, vasa « proto-corinthiaca » cum corinthiacis ullo modo esse connexa, credere tamen non recuso, quod luce planius est, vasa illa esse corinthiacis anteriora. Quo probato, sequitur ut gladius Herculi

(1) Roscher, *Lexikon*, p. 2152.
(2) Roscher, *Lexikon*, p. 2138.
(3) Suidas, s. v. Πείσανδρος.
(4) *Annali*, 1877, tab. CD, 2, p. 45, 7.
(5) Roscher, *Lexikon*, p. 2139.
(6) Roscher, *ibidem*.
(7) *Archæologische Anzeiger*, 1895, p. 33.

primum attribuatur contra leonem certanti : deinde robore deum fabri donaverunt. Sic ectypum nostrum quum vetus esse demonstratur, tum antiquissimis recentius.

Haud aliter stat leo, quæ forma fabulæ anterior (1) est illi quæ heroem ostendit humi procumbentem atque bracchiis collum leonis amplectentem. — Sed non est quin adhuc antiquiora referas exempla. Tribus in vasis, « proto-corinthiaco » uno, corinthiacisque duobus aliis quæ suprà memoravi, Herculem videas incedentem quidem, sed leonem nundum gula tangentem, quum contra in ectypo jamjam manu collum monstri tetigit. Sic ectypum rursus vetus est quidem, sed antiquioribus recentius.

Si quæris, ionicane est an corinthiaca lamina, satis erit lecythum memorare « proto-corinthiacam. » Neque nescio duo opponi posse, quæ rettuli, corinthiaca vasa (in tabula, quam affert A. Furtwængler, scena agitur prorsus diversa) (2). Quid vero refert, si origo demonstratur esse ionica, ex venationibus illis assyriis desumpta, quum contra leones grypesque viri regesque dimicant (3)? Quid, si vasa multa reperias ionica, quorum argumentum invenias unum idemque (4)? Num contra tot tantaque similia exempla, duo valeant vasa corinthiaca? Nonne veri similius est multò, ectypum esse, ut pæne cuncta cetera, ionicum?

31. — In lamina olympiaca, **32** A, Hercules de tripode cum Apolline certat. Cui, si P. Wolters credendum (5), fragmentum addere possis, Athenis in Acropoli repertum, ubi vir apparet ad sinistram incedens. Res ita si se habet, Phœbus ad sinistram Athenis, ad dextram Olympiæ progrediretur (de Ajace moriente vide quæ infra rettulimus). Sed minus certa est conjectura.

Scenam sciunt sæpissime a fabris redditam fuisse, quum, in antiquioribus monumentis, in medio stat, quem auferre vult heros, delphicus sanctusque tripus, in recentioribus vero, quorum est nostra lamina, jamjam tripoda Hercules abstulit, quem, contra, deus retinere conatur. Quod secundum genus volunt esse « peloponnesiacum, » sed illam tantum ob causam quod in

(1) *Athenische Mittheilungen*, 1887, p. 125. — *Jahrbuch*, 1890, p. 252.

(2) *Antike Denkmæler*, I, tab. VII, 7a (= Furtwængler, *Beschreibung*, 910). Revera leo leoni alteri opponitur.

(3) *Athenische Mittheilungen*, 1887, p. 121.

(4) Roscher, *Lexikon*, p. 2196.

(5) *Athenische Mittheilungen*, 1895, p. 478.

ectypo nostro olympiaco expressum est (1). Quum vero hoc in opusculo ostendere contenderimus ectypa non esse « peloponnesiaca, » si nomen illud non sensu penitus, ut veri similius, caret — illud ipsum in controversiam adducimus, quo, quasi argumento, utuntur. Argumentum ita penitus rejicimus.

Imo, attica in amphora rubris figuris ornata, artisque quam volunt antiquiorem, Hercules talis apparet qualis in ectypo redditur (2), tripoda haud aliter duabus manibus tenens. Nec credendum, licet ea vasa sæpius ætate sint ectyporum nostrorum æqualia, quæ figuris nigris sunt decorata, recentius esse, quam ectypum, vas atticum. Nam, inter cunctas quas collegimus laminas, non recentissima quidem est illa olympiaca, sed recentiorum una est. Ita duo monumenta reperias, fictile unum, æneum alterum, in Græcia, in eodem temporis, confecta. Ionicum est unum. Cur alterum, quod prioris est simillimum, « peloponnesiacum » esse velis?

32. — In ectypo Eleutheris reperto, **36** B, Hercules versus Athenam incedit, feminaque juxta heroem apparet, puerum gremio fovens. Quomodo tres illæ, prorsus diversæ, juxta in una eademque tabula collocantur? A. G. Bather non assentire non possum, qui Augen agnovit puerum Herculis in templo Palladis foventem, inde deæ ira, contra quam, conjugem heros defendere tentat. Cui scenæ, ut prorsus singulari, similia non est ut reperias exempla, sed jure notavit A. G. Bather non aliter deam heroemque progredi in vasis quibusdam atticis (3). Quorum quidem est argumentum longe diversum, sed satis est ut ionicum reperias esse ectypum, quum jam duæ, quæ scenæ adsunt, feminæ, veste indutæ sint prorsus ionica (4).

33. — In ectypo berolinensi, **33** A, non, ut sensit A. Furtwængler, arboris ramum Hesperidum inclinare tentat Hercules, ut poma legat inclyta. Sed, ut scripsi in catalogo, manu sinistra, robur librat ut contra draconem poma defendat, quæ manu dextra tenere videtur. At non monstrum occupat, sed, ut patet ex pede sinistro ad dextram sine ulla dubitatione verso, jamjam fugit Hercules, pomis quæ carpere volebat ablatis, ideoque tantum librat robur, ut, fugiens, non a tergo occupetur.

(1) Roscher, *Lexikon*, p. 2214.
(2) Furtwængler, *Beschreibung der Vasensammlung*, II, p. 481-3, 2159.
(3) *Catalogue of Vases in British Museum*, B, 198.
(4) *Catalogue des Bronzes du Polytechneion*, p. 136.

Non aliam ob causam caput heros vertit retrorsum, ut sæpe fit in talibus veteribus exemplis.

Persimilem scenam in una pictura berolinensi reperias (1) in qua haud aliter fugit ad dextram Hercules, pomis itidem lectis, sed adstante ac juvante Pallade. Quæ lecythus autem attica est, nigrisque figuris ornata, nostri ergo ectypi, quod ad artem ætatemque refert, haud dissimilis. — Tunc enim temporis, rara sunt prorsus exempla in quibus Herculem invenias poma legentem, nec, excepta illa sculptura olympiaca, quæ nihil ad rem attinet, ulla sunt, nisi, eademque rara, in atticis vasis expressa (2). — Ita rursus ad ionicum redimus fontem.

34. — Hercules contra senem Maritimum in inclyta illa olympiaca, dimicat, quam suprà vidimus esse argivis litteris distinctam, 27 B. — Neque nomen illud, ut fortuitum quidquam signum, rejicere licet. Nam, ut breviter dicam, forma illa Tritonis nonnullis in locis rursus invenitur, atque, quod maxime refert, semper in ionicis. Qui ab Homero memoratur (3), Byzantino quodam in templo colitur (4), in pictura quadam prorsus ionica redditur (5), (in qua Nerei similior, quam Tritonis, sed Senem, ut alioquin verisimile est, quum humano corpore, tum humano maritimoque fabri donaverunt, quumque Nerei similem fecerunt, tum Tritonis). Igitur, ipso a nomine, jamjam concludere velis, ionicam exprimi scenam.

At, si laminam attentius examinas, quod conjeceras affirmare mox paratus eris. Barbatus est enim heros, quod, si A. Furtwængler credendum, signum est ac indicium ionicum. Sed, ut supra videbis, non barbæ tantum, seu præsenti, seu absenti, credendum. — Hoc vero significantius est multò, nudum referri heroem, quod ceteris in exemplis rarius est, atque, non in dorso Tritonis Senisve positum ac quasi equitantem, collum bracchiis complecti, sed magnis passibus simpliciter incedentem, pedibus apparentibus duobus atque *ante*, non *post* monstrum positis. Unum autem cognovi monumentum, in quo itidem nudus est Hercules ac contra Tritonem tali modo incedit, sculptura nempe illa in Musæo Louvre servata, quæque olim templum ornabat Assi, quum loco, tum arte imprimis ionica (6). Igitur, quum

(1) *Archæologische Anzeiger*, 1893, p. 86, 22 (3261).
(2) Roscher, *Lexikon*, p. 2204-5.
(3) *Odyssea*, 4, 384.
(4) Furtwængler, *Bronzefunde von Olympia*, p. 96.
(5) Gerhard, *Auserlesene Vasenbilder*, II, tab. CXXII-CXXIII.
(6) Collignon, *Histoire de la sculpture grecque*, I, p. 185, fig. 86.

pugna Herculis in vasis iis tantum redditur quæ nigris figuris sunt decorata (1), ideoque sunt ionica, inter tot exempla inque universo illo genere, rursus species certa distinguenda, quæ sculpturam asiaticam laminamque coagmentat.

Hoc vero pluris etiam refert, jamjam Senem, ut vitaret heroem, tentare ut semetipsum in diversas immutaret feras. Jamjam in summo capite serpens apparet flammaque lucens, quæ duo signa sunt inceptæ metamorphoseos. — Vasa conferunt in quibus Peleus contra Thetim dimicat, sæpe, sive dea, sive deæ comitibus, leone, tigrive, heroem terrere conantibus (2). Sed alia prorsus est scena. Nam, non modo Senex solus adest, sed immutatio vere est a fabro expressa : non enim monstra fert Trito, sed in eo est, ut monstrum ipse fiat. — Nec meliore jure picturas referas, in quibus canis Inferorum caput tollit serpentibus repletum (3), nam angues infernum esse canem significant, nullæ vero metamorphoseos sunt signa.

Itaque, prorsus unicum est nostrum, quod inspeximus, monumentum. Illud igitur arte illa tantum esse confectum credamus, quæ inter primas erat, nec tantum exempla imitabatur externa, sed, quæ ipsa invenerat, aliis proponebat exemplum. Quænam sit ars illa, non definire forte possumus, sed connexam illam esse cum sculptoribus qui Assi templum ornaverant, jamjam monstravimus. — Hoc vero retineamus non ullum signum fuisse in lamina expressum quod non sit ionicæ artis indicium. Ut re vera ionicum sit ectypum, nil obstat, nisi argivæ illæ litteræ. Concludamus ergo necesse, aut litteras esse in ectypo jamjam confecto incussas, aut, quod multò satius est, argivum fabrum opera confecisse prorsus ionica. Nec aliter negavi ullum esse exemplum, in argivis finibus confectum, quod argivam, ante quintum a. C. sæculum, vere spiret artem, imo nullam esse contendi argivam artem, sed, in ea ætate, nil exstare, nisi diversas species sortesque generis quod dicitur ionicum (4).

35. — Hydra quædam apparet in ectypo berolinensi (26 B), hydramque itidem in spira agnoscere possis, quam cernis in fragmento quodam olympiaco (29 C). Sed incertum hydrane sit lernæa, an, qui arborem defendit Hesperidum, draco. Incertum

(1) *Annali*, 1882, p. 73-89, 314.

(2) Gerhard, *Auserlesene Vasenbilder*, II, tab. CXII, p. 99-100.

(3) Gerhard, *ibid.*, II, tab. CXXIX.

(4) *Catalogue des Bronzes de l'Acropole*, préface.

etiam, si monstrum effertur lernæum, quo modo scenam expresserit faber.

In ectypo alio bœotico, Ptoïi invento, non sine jure conjecit M. Holleaux currum bigarum ostendi Iolaï. Si res ita se habet, notabimus Iolaum, non ut solet in corinthiacis exemplis, juxta Heraclem dimicare (1), sed, aurigam, in curru stare, sicut scenam nonnulla reddiderunt ionica chalcidicaque monumenta (2). — At enim dicunt scenas illas diversas, non arte tantum, quam tempore, esse diversas, quum in priore jam dimicat Iolaos, in posteriore vero, nondum de curru descendit. Imo contendunt chalcidicum, quod volunt esse, genus non esse corinthiacis fabris ignotum qui arcam sculpserunt Kypseli (3). — At, licet ingeniosa quadam conjectura Pausaniæ verba emendârint, non adeò certum est scenam ita in arca exprimi. Concedo vero res ita se habere. Non credo arcam illam celebrem, magis quam Amyclæi Jovis thronum quem compertum est a fabro confectum fuisse ionico, corinthiacam spirare artem : ionicam vero credam esse arcam, exemplisque ceteris ionicis, quæ Iolaum in curru ostendunt, ideo annumerandam.

36. — Duabus in laminis, olympiaca una, 27 D, bœotica altera Ptoïique reperta, 42, Hercules videtur contra Senectutem (Geras) dimicans. Quibus non possum dodonæum addere exemplum, in quo unus occupat quem sublevat alter, neque agnovisse non est ut me non confitear, quæ in ectypo scena reddatur.

At enim monstrum illud, quod lacessit heros, non virile potius quam femineum apparet, barba enim, sicut agnovit Furtwængler, prorsus caret. Igitur non Geras vocat illud, sed, sive Κὴρ, sive Ἀδικία (4), quæ nonnunquam videas in monumentis itidem expressa. — Sed barbam rursus dicemus non signum esse adeo certum, ut solum de origine laminæ sententiam ferat. Non modo difficilius semper dijudices (quod de sphingibus præcipue verum est) barbatusne sit annon vir qui in ectypis exprimitur, sed in pictura quadam vasculari, in qua sine dubio Geras apparet, idemque minime est barbatus (5). — Igitur ectypum conferamus cum exemplis illis, in quibus senex fugit progre-

(1) *Jahrbuch*, 1890, p. 252, etc.

(2) Gerhard, *Auserlesene Vasenbilder*, II, tab. 95-6. — Ἐφημερίς Ἀρχαιολογική, 1884, tab. 7.

(3) *Journal of Hellenic Studies*, 1894, p. 67-8.

(4) *Olympia*, t. IV, *Die Bronzen*, p. 102, 213.

(5) *Archæologische Zeitung*, 1881, 39, p. 40, not. 32 (= β, *J. H. S.*, infrà).

dientem minantemque heroem, quod monstrum horridum semper est ac turpius aspectu (1). Inter quæ, unum præsertim est nostræ figuræ persimile (2). — Quæ autem monumenta cuncta notabis esse attica, ergo ionica.

At etiam vas berolinense non est ectypi admodum simile. Quo patet, ut in Hesperidum Senisque Maritimi ectypis, non id modo sibi proposuisse fabrum ut exemplum redderet ante oculos positum, sed curavisse ut acceptum argumentum diversum in modum immutaret. Ita ionicus est faber, sed, peculari quodam ac ceterorum dissimili, ingenio præditus.

37. — Theseus, ut veri simile est, in ectypo, Athenis in Acropoli reperto, contra Minotaurum certat, **13** A, Theseaque rursus, ut supra diximus, P. Wolters agnovit in alio attico exemplo, **12** D (3). Sed monstrum ideo non credam in altera lamina expressum fuisse, quod corpore immanis esse videtur, non secus ac Typho Titanque Prometheus, — in ectypo contra, quod eodem in loco fuit inventum, quodque sine dubio monstri refert imaginem, non major est heroe Minotaurus, neque major solet ostendi ceteris in monumentis.

Ut ergo unum retineamus ectypum, **13** A, si laminam cum ceteris conferimus monumentis, nonnulla invenimus nostro antiquiora, in quibus stat monstrum, nec, ut in lamina, genibus jam procubuit. — Quæ vero sunt monumenta, in quibus scenæ quasi fontem videas originemque, cuncta ionica (4). Laminas quidem excipere possis aureas corinthiacas (5), sed illæ non sunt antiquissimæ, nec ulla lege adducimur ut illas credamus aut Corinthi esse confectas, quum atticarum sint persimiles, aut imo forte Corinthi esse repertas. Nec olympiacum sigillum magis Minotaurum esse confidam (6). — Ita ionica tantum reperias, quæ anteriora sunt, monumenta. In ectypo, quod paulo recentius est, jamjam procubuit in genu monstrum, sed adhuc separati sunt atque inter se distantes adversarii, manu tantum cornu tenente Minotauri.

Quod exemplum inter recentiora monumenta rursus unicum est. In quibus, aut hostem circumdat bracchiis heros (7), aut

(1) *Journal of Hellenic Studies*, 1883, tab. XXX, p. 96-110 (C. Smith).
(2) Furtwængler, *Beschreibung der Vasensammlung*, I, 1827, p. 405.
(3) *Athenische Mittheilungen*, 1895, p. 474-5.
(4) *Journal of Hellenic Studies*, 1894, p. 210, 214.
(5) *Archæologische Zeitung*, 1884, p. 106, tab. 8, 3-4.
(6) *Catalogue des Bronzes de l'Acropole*, 51, p. 21.
(7) Gerhard, *Auserlesene Vasenbilder*, III, tab. CLXI, etc.

gladium porrigit monstrum (1), aut, quum manum forte, ut in ectypo, tollit (2), veste indutus est heros, arsque picturæ est multo dissimilis.

Contra, nummum reperias atticum in quo pugna simili modo redditur (3). Haud aliter enim bracchium dextrum posuit heros, sinistroque, cornu tenet monstri, quum genu in crus Minotauri procumbit, — similiterque Minotaurus bracchium pari gestu tollit dextrum, altero pendente, nec jam amplius contra victorem resistente. Nummus est autem, ut jure conjecit Imhoof-Blumer, statuam quamdam imitatus atticam, Athenis in Acropoli quondam positam (4), — nec scimus quidem quando sculptura sit confecta, — nil obstat vero quin vetus esse monumentum credamus. Si forte objiciunt corpus herois in nummo reddi, quum gracilius, tum arte perfectius, hoc animadvertendum, nummum esse, ut sæpius fit, longo intervallo post sculpturam excussum, ideoque, non bene quæ viderat expressisse fabrum, sed paulo immutasse. — Nec argumento tantum, sed ipsa arte atticum videtur ectypum. Caput illud, forte simul ac quasi quadratum, corpus, brevius ac plenius, nescio tamen qua elegantia expressum, cuiquam attentius inspicienti, nonne in mentem veniunt sculpturæ illæ athenienses antiquiores, inter quas eminet vir qui vitulum fert homeris (5), tam rudi, tam vero tamen ac sincero sculptus ab artifice.

Ita, quum unius monumenti ejusdemque attici persimilis sit lamina, atticam illam vocare nil obstat quin possimus, quin imo debeamus (nec referre necesse quam sit attica fabula, quamque frequenter atticis in vasis expressa).

38. — Tribus in ectypis, Priamus supplex apparet, corpus filii deposcens Hectoris, in « corinthiaco » uno, **1**, in olympiaco secundo **30**, inque tertio, Athenis, in Acropoli reperto, **11** B.

Ut ordine incipiam, hoc primum animadvertam, quod A. Furtwængler (6), post Milchhœfer, recte indicavit, argumentum nempe in veteribus ectypis fictilibus jamjam inveniri in Etruria

(1) *Wiener Vorlegeblætter*, 1889, tab. 2, 2b, etc.

(2) Gerhard, *Auserlesene Vasenbilder*, III, tab. CLX. — Millin, II, tab. 78, 6, p. 87 (S. Reinach).

(3) *Journal of Hellenic Studies*, 1887, tab. LXXVII, DDIII, p. 42 (= Beulé, 398, 4).

(4) Pausanias, 1, 24, 2.

(5) De qua arte, vide quæ scripsi, *Catalogue des Bronzes de l'Acropole*, in procemio, p. XIV.

(6) *Historische Aufsætze an E. Curtius dargebracht*, p. 186, n. 2.

repertis, neque multa fabrum immutare debuisse, ut, e complexu prorsus simplici, fabulam depromeret heroïcam. Quæ autem ectypa *a bucchero* vocata, notum est esse prorsus ionica.

Neque argumentum videtur ante ectypa nostra unquam expressum fuisse, quod in monumentis haud ita frequenter redditur, iisque cunctis lamina recentioribus (1). Fieri ita potest ut fabri nostri fabulam primum effinxissent.

Sed non tria sunt exempla inter se similia. Duo genera in illis facilius discernas, unum « olympiacum » « corinthiacum » que, alterum « atticum. » — De priore, non est cur longius disseram, quum A. Furtwængler bene notaverit corinthiacum esse illo antiquius quod Olympiæ repertum fuit. Pluris ostendisse refert quibus signis tertium a prioribus exemplum distet.

Non modo bracchium Achilles sinistrum non tollit, sed simpliciter præ se fert, hastam tenens, nec Priamus ita inclinatus est, humiliterque pro hoste dejectus, at contra rectius stat, bracchio sinistro magis depresso, — sed, etiam qui adstat, tertius, non incedit ut in corinthiaco exemplo, at simpliciter regem cernit supplicem Achillemque precibus commotum, nec video cur Hermes sit adhuc vocandus, qui signis non est ullis distinctus, nec potius sit, sive Achillis, sive regis, comes.

At corpora sunt præsertim diversa. Crura sunt quidem, ut in vetere quoque monumento, longiora, sed dorsum magis curvum apparet, humeris melius ac plenius expressis. Vultus quoque perfectior est, mento adhuc angulari atque longius eminente, sed forma plenior ac mollior simul, Thesei Minotaurique, quos supra vidimus, similior.

Ideo non modo ectypum atheniensi recentius esse confido, sed Athenis quoque confectum fuisse. De ceteris, quum incerta sit adhuc origo, hoc tamen est maxime certum ionica esse exempla, quæ ectyporum etruscorum similia sunt simul, argumentumque referunt, in vasis atticis sæpius expressum.

39. — Semet interficit Ajax duabus in laminis atticis, **11** B, **12** C, et forte in tertio exemplo **14** A, ubi tria capita tantum apparent, nempe trium virorum qui adstant morientique adsunt. — At, si tertiam laminam incertiorem excipies, non nihilo videbimus adhuc duas alias inter se differre, quanquam sunt similiores. Non modo ad dextram, in una, versus est Ajax, in altera contra, ad sinistram — sed in una, **12** C, magis obliqua est bracchii pars anterior, quæ, in **11** D, terram parte majore lacerti

(1) *Ibid.*, p. 184-6. — *Olympia*, t. IV, *Die Bronzen*, p. 103.

tetigit. Quo fit ut vultus, in **11** D, paulo sublevatus esse videatur. Ita quoque, quæ persona prope pedes Ajacis exprimitur, stat in **12** C, quum contra, in **11** D, sit morientem versus inclinata. Denique qui in medio stat grandioribus passibus in **12** C ambulat quam in **11** D progreditur. — At indicia illa sunt, ut facilius agnoscas, leviora, nec eo probatur artem esse in ectypis diversam, sed tantum laminas ab eodem fabro non esse confectas.

Si scenam confers cum vasis illis corinthiacis in quibus argumentum nostrum nonnunquam editur (1) — non eodem modo Ajacem reddi videas atque in nostris ectypis. Ne pluribus utar exemplis, in una pictura (2), non pedes sublatos reperias herois, quum contra caput obliquum est, ac manus pro capite tenduntur. In altera (3), pedes in terra positi sunt, genuque quasi humi infixum quod in ectypo solum vix tangere videtur, sublatis in altum pedibus, atque, quum crurum pars anterior cum posteriore, angulo rudiore, jungitur, corpus invenias ipsum Ajacis altius sublatum, quod in ectypo prope terram positum est : deinde manus quoque, longius quam in ectypo, porrectæ sunt. — Contra, mortuum quemdam reperias, in amphora quadam chalcidica (4) ita expressum, ut Ajax redditur in tabula : quo sequitur, ut in arte ionica mortuos fabri ita finxerint atque ectypum, multo satius quam corinthiacum, sit ionicum.

At enim, non ullo scena reperitur in exemplo ionico, quum contra est in corinthiacis, frequentior. Quid, si jamjam in Æthiopide refertur, in poemate, ut sciunt, valde ionico ? Quid, si in pictura ostenditur « proto-corinthiaca (5), » quod vasorum genus notum est, ac supra diximus, quam arcte sit cum ionica arte connexum. Igitur hoc non conjicimus tantum, sed audacter affirmare possumus scenam ionicis in exemplis expressam quoque fuisse — quo probato, sequitur ut nostræ laminæ sint, tanquam ceteræ, ionicæ.

40. — De Cassandra, quam insequitur Ajax, **33** B, non necesse, credo, est, ut longius disseram, nam scena est pernota atque in veteribus monumentis frequenter expressa. Ne pluribus utar exemplis, vas tantum referam « attico-ionicum », Rhodi

(1) *Athenische Mittheilungen*, 1895, p. 475-6, etc.
(2) *Archæologische Anzeiger*, 1891, 5.
(3) Longpérier, *Musée Napoléon III*, tab. LXVI, LXXI (XXII, XXXVI).
(4) Gerhard, *Auserlesene Vasenbilder*, II, tab. CV-CVI (Eurytion).
(5) *Archæologische Anzeiger*, 1895, p. 33-4, n° 14, fig. 5 (3319).

repertum atque in musæo britannico servatum (1). — Notabis vero Cassandram ita parvam exiguoque corpore in vasis quibusdam reddi, quæ, inter vetera, recentiora sunt, neque picturis rubris multo anteriora (2). Quo planum est, quod jam vidisse facilius esset, ectypum esse arte ac ætate recentius.

Si fabulas illas repetimus — nonnullas vidimus in ectypis, aut primum expressas fuisse, aut aliter reddi quam in ceteris, quæ noveramus, exemplis (vide quæ de Auge, de malis Hesperidum, de Achille et Priamo supra disseruimus). Deinde laminas ostendimus nonnunquam esse inter se diversas, quod, meâ quidem sententia, non ex eo tantum fit quod quædam sunt inter illas recentiores, sed quod diversam spirant artem diversisque fuerunt in locis confectæ. At, si diversæ sunt species, genus unum idemque manet : non modo ionicæ atticæque fabulæ pertractantur, præsertimque illæ quæ ad Herculem attinent, sed cum ionicis exemplis ectypa vidimus arctis multiplicibusque nodis ac vinculis esse connexa. Quo probato, sequitur, nec conjecturam opponere velim conjecturæ, sed errorem, ni fallor, repellere, ut ectypa sint, quum arte, tum origine ionica.

(1) *Journal of Hellenic Studies*, tab. 40, 1884, p. 234-5.
(2) Furtwængler, *Beschreibung der Vasensammlung*, I, p. 353-4, 1863.

CONCLUSIO.

Ut eorum quæ dixi summam faciam, ectypa nostra ostendimus « argivo-corinthiaca » prorsus non esse, sed contra, quum marginibus, tum, quod pluris refert, ipsis scenis in tabulis expressis, ionicas esse videri.

Ac ectypa invenias, diversis in regionibus Græciæ, quæ antiquiora quidem sunt, sed nostrorum exemplorum non videntur ita dissimiles. Ut præcipua tantum afferam monumenta, num bœotica (1), rhodia (2), attica (3) referam diademata? Quibus, laminas nonnullas conferre possis quas dicunt esse Corinthi repertas (4), sed, etiam si re vera illic inventæ sunt, atticarum sunt similiores adeoque pares esse videntur, ut, aut Athenis confectæ sint necesse, aut attica saltem imitatæ sint exempla. — Rursus ectypa invenias fictilia, sive « melia » illa exempla (5), sive vasa etrusca in Italia reperta ectypisque decorata prorsus ionicis, aut quæ in Græcia inventa sunt, sæpiusque, sive in insulis, sive in regionibus, quas concedunt ionicas esse, reperta (6), imo tegulas pictas fictasque, arcasque illas capuanas (7) siculasque (8), easdemque in primis ionicas.

Quæ monumenta, sive ænea aurataque, sive fictilia, nostrorum exemplorum interdum similia sunt. Eadem argumenta reperias in illis atque in laminis expressa, sirena (9), sphingem (10), centaurum (11), Gorgonem (12), aquilam cadaver occu-

(1) *Catalogue des Bronzes du Polytechneion*, p. 67 sqq.

(2) Salzmann, *Camiros*, tab. 1, etc.

(3) *Archæologische Zeitung*, 1884, tab. 9, 1, etc.

(4) *Ibid.*, tab. 8, 1.

(5) Schœne, *Griechische Reliefs*, tab. XXX-V. — *B. C. H.*, 1881, p. 436-8, etc.

(6) *Monuments grecs*, II, p. 54-6. E. Pottier, quum 24 numeravit ectypa, 6 tantum invenit in Peloponneso reperta (5-6, 12*, 18*, 20*, 22*), quibus exempla addas in Heræo effossa.

(7) *Catalogue des Bronzes de l'Acropole*, p. 19, not. 1.

(8) Kekulé, *Terrakotten v. Sikelien*, p. 46-9, fig. 105-113 (de vasis, vide tab. LV-LVII).

(9) *Monuments grecs*, II, p. 54-6 (vide suprà), 10*.

(10) *Ibid.*, 11*.

(11) *Ibid.*, 11*, 14*.

(12) Kekulé, *Terrakotten v. Sikelien*, p. 44-5.

pantem (1), equitantem hominem (2), currum bigarum (3), virum in currum ascendentem (4), homines inter se dimicantes (5), nec, si ectypa addes etrusca « a bucchero » vocata, pæne ullum desiderabis, quod sit in laminis nostris expressum, argumentum. — Quæ autem cuncta sunt monumenta, arte simul ac origine, ionica. Sequitur ut nostra ectypa, quæ sunt illorum similia, itidem sint ionica.

At enim, morem dicunt prorsus « geometricum » « peloponnesiacum »que tabulam in ectypo quadrato contineri, atque ita expressam esse, ut partes omnes scenæ in lucem quasi prodeant, nullo addito ornamento quod vacuum repleat atque imperitiæ adjumentum sit fabri ærarii. — Nec nego, in vasis quæ dicuntur « geometrica », tabulas sæpius delineari quadratas in quibus scena picta est, sive implicatior, sive, quod sæpius evenit, simplicior. Imo non tabula tantum quadrata est, sed argumentum ita redditur ut quadratæ conveniat formæ, artisque sit, si ita dici potest, quadratæ.

Hoc vero quærendum esset, arsne sit illa « geometrica, » peloponnesiacaque, an ceteris Græciæ partibus communis, imo, ut libentius crederem, ipsa mycenæa arte anterior. Sed nil ad rem attinet. Concedo geometricam artem esse, ut volunt, prorsus doricam. Quid refert, si exempla sunt, ectypis nostris, valde antiquiora? Quid si certum est, artem ionicam « geometricam » quoque factam esse, imo eo tempore factam esse quod propius est laminarum? Quid si, ionicis in monumentis, quadratas tabulas invenias, quadratorum ectyporum haud ita dissimiles, similique ætate confectas? Quid si, non modo quadratæ sunt tabulæ, sed, ut geometricis in vasis, ita redditur scena ut formæ maxime conveniat? Laus illa, quam volunt esse « peloponnesiacam », nonne tunc ionica fiet, ac nonne laudatas laminas ionicas esse fateri cogeris?

Si autem vasa exemplaque quæres ionica, pocula invenies cypriaca (6), rhodia theræaque meliaque vasa (7), myrinensia monumenta (8), clazomenios sarcophagos, daphnæas situlas (9),

(1) *Monuments grecs*, 15·.
(2) *Ibid.*, 16·.
(3) *Ibid.*, 19·, 24·.
(4) *Ibid.*, 21·, 23·.
(5) *Ibid.*, 13·.
(6) Dumont-Chaplain, p. 114-5, etc.
(7) Ibid., p. 164, 171.
(8) *Journal of Hellenic Studies*, 1881, p. 304.
(9) *Jahrbuch*, 1895, p. 37, fig. 1 (= *Neb. and Defen.*, tab. 25, 3; 26, 8).

« proto-attica » innumerabilia exempla (1) — in quibus, tabula quædam delineatur, certis finibus circumclusa, sæpiusque quadrata, ubique scena ad tabulam mirum in modum accommodata fuit. Contra vidimus quam imperiti fuerint fabri corinthiaci quum tabulas pingere conati sunt quadratas (2). — Ita severitatem illam, quam volunt esse « peloponnesiacam », ionicam multo satius esse contendam, nec ionicum ingenium molle tantum esse ac suaviter pulchrum, sed austerum interdum esse ac in primis « geometricum, » si verbum non sensu omnino caret, contra ostendere tentavi (3). Ac, si ars quædam ionica dicenda, quæ ectyporum fons esse videtur, rhodiam potius nominem artem, quæ, quum laminis auratis, tum vasis, persimilis esse videtur eorum quæ vidimus ectyporum. Nec dico res ita se habere, rhodiaque esse exempla, sed, tunc temporis, nil cognovimus adhuc quod exemplorum sit similius.

Ita, ramos illos, aut punctorum seriem, quæ inter tabulas invenias, in exemplis mycenæis (4), cypriacis (5), chalcidicis, cyrenæis, ionicis, atticis sæpius invenias, nec tantum, ut volunt, in corinthiacis (6). — Deinde mos est valde ionicus, quem rhodiis (7) chalcidicisque in exemplis sæpius invenias, unum crus bracchiumque reddere, sive virorum, sive animalium, quæ incedunt in tabula. — Quibus signis ac indiciis, non minus quam ectypis similibus, fictilibusque ac æneis aut auratis, rursus ionica demonstrantur esse quæ collegimus ectypa.

Si vero reputas ectypa, non bis aut semel, sed sæpius reperta esse inter se diversa, nunc restat ut laminas certis tribuamus regionibus, certisque, si possumus, fabrorum ἐργαστηρίοις.

Ut ordine incipiamus, ectypa credam in Bœotia reperta, sive Eleutheris (**35-6, 84**), sive Ptoïi (**37-49**), sive Orchomeni (**50-83, 90**), Chalcide in urbe esse confecta. Quod verum esse, non eo tantum confido quia ἐργαστήριον vicinum est idemque prorsus ionicum, sed quod æris metallis redundat terra (quum in ceteris Græciæ partibus *nullum* exstat æneum metallum) (8) civitatem-

(1) Cf. ea quæ Burgon abstulit vasa.
(2) *B. C. H.*, 1895, p. 191, not. 5.
(3) *Catalogue des Bronzes de l'Acropole*, préface, *passim*.
(4) Perrot, *Histoire de l'Art*, VI, p. 845-6, fig. 428, 22, etc.
(5) *Jahrbuch*, 1886, p. 80.
(6) *B. C. H.*, 1892, p. 367, not. 3.
(7) *Jahrbuch*, 1886, p. 139, 140, etc.
(8) *Catalogue des Bronzes de l'Acropole*, préface, p. XV.

que notum est, quum arte, tum commercio ac potestate, inter primas, usque ad sæculum a. C. n., quintum viguisse ac floruisse.

Ut conjectura iterum utar, laminas dicemus Athenis in Acropoli repertas (11-9, 87-9, 91-7), Athenis itidem esse confectas. Si enim ea quæ supra exposuimus brevi repetimus, sphinges vidimus eodem modo reddi, Thesea denuo sculpturæ persimilem atheniensis, deinde corpora membraque ac vultus atticam, ni fallor, prorsus spirare artem.

Restant dodonæa exempla (5-10), atque olympiaca (27-34), eaque simul quæ volunt Corinthi esse inventa (1-4, 20-6).

De dodonæis exemplis pauca sunt dicenda. Argumenta enim quæ videas in laminis expressa, non aliter effingi vidimus quam atticis in vasis iisdemque jam arte recentioribus. Ectypum tamen similius, quum scena, tum ovorum forma in margine incussorum, musæum nostrum publicum nuper exposuit, in Bœotia, ut fama fert, inventum. Ita aut chalcidica esse reputabis exempla, aut, si malueris, attica.

Inter olympiaca exempla, ea primum excipias quæ, quum recentiora sunt, tum vasorum atticorum similiora (32-4), eaque rursus, quæ nil ad rem referunt, quum scena agitur usitatissima (31). Restat ea lamina in qua Senex apparet Maritimus eaque in qua supplex redditur Priamus. De posteriore æque contendre possint corinthiacum esse ectypum (confer 1), aut, quod credere mallem, chalcidicum. De priore, ut uni Seni studeamus, suprà longius monstravimus ionicum esse prorsus exemplum. Si ergo volunt ectypum esse Argis confectum, sequeretur ut Argivi artem, tunc temporis, colerent ionicam.

De corinthiacis exemplis, incertius paulo concludemus. Ut Priamum excipiamus, juvenesque in speculis expressos (2-4), eosdemque sine dubio ionicos, Herculem invenimus qui atticus apparet, quum vasorum atticorum similior (25), avemque grypis capite præditum, qui, corinthiacis quidem in vasis, nonnunquam refertur, sed, quoque, ut vidimus, in ionicis. Nil impedit igitur quin Chalcidi Athenisque tribuamus exempla. — At si credimus ea esse Corinthi confecta, rursus sequitur, Corinthi, fabros ionicam coluisse artem. Neque, ut aliàs scripsi, ullum exstare videmus monumentum, quod, ante sæculum a. C. n., quintum, *re vera* sit «peloponnesiacum (1). »

(1) *Catalogue des Bronzes de l'Acropole*, préface, p. XVIII sqq.

Si quæremus ectyporum nostrorum ætatem, recentissima inveniemus, sæculo a. C. quinto oriente, esse confecta (97, etc.), antiquissima, ni fallor, septimo sæculo expressa fuisse (40-50). Olympiacum exemplum sæculo sexto oriente credam excussum esse (27), atticaque monumenta (11-9) eidem sæculo tribuam, sed jam provecto finisque propiore. Ne obliviscaris verò cave, conjectura tantum nos ætatem assecutos esse, idque solum curasse ut ordinem, in quo disposita fuerunt exempla, definiremus.

Ut paucis concludam, nonnulla, aut ostendimus, aut, quod, tali in materia, pæne idem valet, ostendere tentavimus. Ionica primum contendimus esse exempla, nec, ullo modo, ut volunt, seu « peloponnesiaca », seu « argivo-corinthiaca. » Dehinc, ea diximus esse diversis in ἐργαστηρίοις confecta, præsertim verò, ni fallor, Athenisque ac Chalcide. Quas partes enim ars nobis agere visa fuerat rhodia, prope Græciam continentem Chalcis, in septimo sextoque sæculo, rursus egit, quam jure Græci « æneam » dixerunt civitatem.

Vidi ac perlegi :

Lutetiæ Parisiorum in Sorbona,

a. d. XVII kal. aug. ann. MDCCCXCVI,

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus.

A. HIMLY.

Typis mandetur :

Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

INDEX

TOLOSÆ. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.